DE

PLATONIS PHÆDRO DIALOGO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A.-P. LEMERCIER

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

NANCEII

EX TYPIS PAUL SORDOILLET

51, via Sancti Dizerii, 51

MDCCCLXXXVIII

DE

PLATONIS PHÆDRO DIALOGO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A.-P. LEMERCIER

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

NANCEII

EX TYPIS PAUL SORDOILLET

51, via Sancti Dizerii, 51

MDCCCLXXXVIII

Viro optimo, homini doctissimo

Gaston BOISSIER

Gratissimi animi pignus.

PROŒMIUM

In animo mihi est de Platonis *Phædro* (1) disserere et quærere quid sibi philosophus voluerit dialogum istum componendo. Operi ipsimet studebo explanando, non curans quo in tempore scriptum fuerit: ad id enim intelligendum parum hæc investigatio valeat, ut judicavit recentissimus et sagacissimus Platonicæ doctrinæ interpres, *Hermann Bonitz* (2). Non repetam igitur et exponam omnia quæ alii de *Phædro* olim dixere: quem laborem longum et, pace omnium dixe-

(1) M. SCHANZ, *Platonis opera quæ feruntur omnia... Vol. V. Fasciculus posterior... Lipsiæ MDCCCLXXXII.* — Recensionem hanc, quod ad dialogos jam in lucem editos pertinet, semper consului.

(2) Hermann BONITZ, *Platonische Studien, Dritte Auflage. Berlin, 1886.* — Vide (pag. 270-292): « *Zur Erklärung des Dialogs Phädros.* » — Pag. 290: « Die Frage über die Abfassungszeit des « Phädros... ist in dem bisherigen ganz bei Seite gelassen. Zum « Verständnisse des Phädros ist die Beantwortung dieser Frage « nicht erforderlich; das allgemeine Interesse der Zeit für Rhetorik « und deren thatsächliche Beschaffenheit einerseits, Platons « Überzeugung von dem absoluten Werthe der Philosophie ander- « seits reichen hin das Werk verstädndlich zu machen. »

rim, prope inutilem explevit *Stallbaum* (1), quod attinet ad commentatores quos ei novisse licuit, et, si ceteros respicis, quivis facillime ad finem perducat. Ceterum nemo nescit quot auctores, tot de *Phædro* sensus fuisse semper, nunc esse. Veteres nullo modo consenserunt, qui libello Platonis inscribebant sive περὶ ἔρωτος, sive περὶ ψυχῆς, sive περὶ ῥητορικῆς, sive περὶ τἀγαθοῦ, libentius vero περὶ καλοῦ. Criticis autem recentioribus et editoribus illud περὶ καλοῦ præsertim placuit: quo tamen propositum Platonis vix attingitur, nedum dialogus totus comprehendatur. Neque amorem aut animum aut bonum absolutum Plato spectat unice, neque pulcrum. Qui finxit artem rhetoricam primas partes in sermone tenere, is sane a veritate minus abhorruit, sed non omnem veritatem invenit et amplexus est. Hanc quidem opinionem jam dudum vidit et expressit unus e nostratibus, *Sallier* nomine (2), quem memorare et obiter laudare me revera juvat; ait autem :

(1) G. STALLBAUM, *Platonis opera omnia... Vol. IV. Sect. I. Continens Phædrum. Editio secunda... MDCCCLVII.*

(2) Abbé SALLIER, *Argument et Precis du Dialogue de Platon intitulé le Phédre. Histoire de l'Académie Royale des Inscriptions et Belles Lettres... Tome Neuviemc. A Paris, de l'Imprimerie Royale ;* M. D CXXXVI. — Pag. 49-57. « Le sujet de ce dialogue est « la Rhétorique, ou l'art de parler, et... il n'y a rien dans tout ce que « disent les interlocuteurs, Phèdre et Socrate, qui n'y ait directe- « ment rapport. » Non aliter, ut mihi videtur, putavit et disputavit *Rudolfus Kühner, Platonis de eloquentia in Phædro dialogo judicium... Spandow 1868.* Vide, pag. 16 : « Quamobrem ita dispu- « tationem suam finit Socrates, ut dicat, cum *artis oratoriæ* tanta « sit præstantia tantaque excellentia, non mirandum esse longum « circuitum, non timendas ac reformidandas longas ambages... »

« Fundamentum dialogi hujus... est rhetorica, sive « ars dicendi, ad quam omnia a Phædro et Socrate « dicta quasi directa via pertinent... »

Reperire est, latine exposita, apud *Stallbaum*, ea quæ de *Phædro* a criticis, *Schleiermacher* (1), *K. F. Hermann* (2), *Stallbaum ipso* (3), ut ceteros omittam, excogitata fuere et conscripta : quæ neque inter se congruentia neque interdum clara et perspicua esse examinanti videntur, licet eadem non rejiciat, immo admittat. Haud aliter sentiunt *Krische* qui « *nucleum totius dialogi ponit in arte dialectica* aut in fine scientiæ », et *Steinhart*, qui declarat Platonem in *Phædro* opposuise vitam animi vere philosophicam vitæ vulgari humili rebusque terrestribus deditæ (4).

(1) « Argumentum totius libri atque summam eo redire censet« ut artem dialecticam doceatur unam esse rectam cogitandi atque « disserendi magistram (die Kunst des freiens Denkens und Mit« theilens) .. » STALLBAUM, *op cit*, *Proleg.*, pag. XXVIII-XXX, not..

(2) « Quamobrem ipse studium æternæ veritatis vel idearum illud « esse judicavit, in quo totius sermonis tanquam cardo verteretur. » Id., ibid., pag. XXXI, not..

(3) « Quam sententiam etiam simplicius sic exprimere licebit, ut « Platonem dicamus falsam rhetoricam vanitatis coarguendo philo» sophiam docuisse natura sua unicam esse scientiæ tam adipis« cendæ quam propagandæ et tradendæ procreatricem. » Id. ibid., XXXII-XXXIII.

(4) A. B. KRISCHE, *Über Platons Phädros, Göttingen, 1848.* — Pag. 133 : « Als Kern des ganzen Gesprächs erscheint also die « Lehre von der Dialektik als Kunst des Denkens und des Seins oder « von der Methodik des Wissens und dem Inhalte desselben... » — Karl STEINHART, *Platon's sämmtliche Werke... Vierter Band. Leipzig... 1854.* — *Einleitung*, pag. 21 : « Hiernach bestimmen wir

Illustrissimus vero gallicus Platonis commentator, *Victor Cousin*, dum rapide et fere cursim dialogum explicat, cum vera præsertim aut verisimilia, tum falsa et inventa consilia Platoni attribuit, veluti philosophus in *Phædro* ut eloquentiam oratoriam, sic poesim et uno verbo *litteras* jam impugnet et proscribat (1).

Nempe neque hic neque illi aut sine præjudicatis opinionibus *Phædrum* legerunt aut recte dividerunt in partes simplices et naturales. Melius et cum majore doctrinæ Platonicæ reverentia clariusque egit *H. Bonitz*, qui de dialogo ita fere concludit: « Jam analytica illa « operis descriptio... satis demonstrat potius rhetori- « cam et, latiore sensu, artem in universum cogitatio- « nes communicandi in dialogo unice tractari... Si « voles, quod *Phædrus* habet proprium et peculiare, « id non prætermittere vel abolere, etiam invitus « dialogum totum ad rhetoricam referes... (2). »

« als die Gruundidee des Dialogs den Gegensatz des freiern und « hœheren Lebens der Seele... und der ideenlosen Treibens des « rein praktischen Verstandes... »

(1) V. Cousin, *Œuvres de Platon tradui'es... Tome sixième, Paris, 1849.* – Pag 354-355: « Mais comme le sujet définitif n'est « pas l'amour, mais bien la substitution de l'étude de la philoso- « phie à celle de la rhétorique et *en général de la littérature...* » Pag. 475: « Mais qu'y a-t-il dans le *Phèdre* qui ne se retrouve point « ailleurs d'aucune manière? C'est tout ce qui regarde la technique « de la rhétorique, l'exposition des directions des différentes écoles « en ce genre, et la critique détaillée de ces directions. Voilà ce « qui ne se retrouve plus ailleurs, *parceque c'est là le but particu- « lier du Phèdre.* »

(2) Pag. 277-278: « Schon der Hinweis auf die so eben gegebene « Skizze des Inhaltes reicht hin, eine solche Auffassung als unzuläs-

Libellum doctissimi et acutissimi viri accurate perlegi, meque nil impedit quin profitear me apud eum multum profecisse et ejus in sententiam pedibus ac manibus plerumque descendere. Sed, quamvis auctor gravissimus omne punctum tulisse videatur, me spero non male auditurum, si opus *opimum casibus* adgressus ero et pro viribus meis tractaverim. Scilicet neque res ab illo non dictas nisi quam paucissimas adfero, et tamen aliam sequar viam, ut monstrem qua ratione, quo tenore Plato progrediatur ab hoc ad illud, a falso et malo ad verum et bonum, a sophistarum rhetorica ad novam et meliorem, sive philosophicam, artem dicendi, ab illa, quam quoque repellit et abjicit, ad sanctam et divinam dialecticam (1).

« sig zurückzuweisen und um zu vergegenwärtigen, dass vielmehr « die Rhetorik und in weiterem Sinne die gesammte Kunst der « Gedankenmittheilung den einheitlichen Gesichtspunct des Dialogs « bildet... Wollen wir diesem specifischen Charakter des Ph. dros « sein Recht wahren, so werden wir zu der von Schleiermacher zu « etwas bloss Äusserlichen herabgesetzten Rhetorik zurückgegeführt. Der ganze Dialog soll zu der Überzeugung führen, dass die « Rhetorik und jede Gedankenmittheilung nur dann eine Kunst sein « kann, wenn sie auf der Philosophie wir würden vielleicht sagen, « auf der wissenschaftlichen Einsicht in den Gegenstand — beruht »

(1) Opera hæc de Platone, de *Phædro* in manibus habui, quæ infra non memorantur :

Beierle, *Disposition des Platonischen Dialogs Phædrus, Programm des Kais. Königl. Ober-gymnasium zu Troppau...*, *1872*. — A. Ed. Chaignet. *La vie et les écrits de Platon*, *Paris*, *1871*. — Cf. pag. 311-318, 469-488, 488-500.

Deuschle, *Über platonische Mythen, insbesondere den Mythos*

Hoc est enim Platonis consilium in *Phædro* : Socrates, oratione motus Lysiana, sophistarum rhetoricam excutiendam et destruendam adgreditur ; paulatim sed enim evadit ad propriam suam dicendi, docendi rationem exponendam et illustrandam, quæ dialectica vocatur. In intervallis autem magnificentissimam de amore, de animo humano, de pulcro fundit orationem, aut fabellas, μύθους narrat: quæ omnia, licet quis contradicat (1), cum dialectica et rhetorica cohærent. Socratis vel digressus ad præcipuum dialogi propositum tendunt. In *Phædro* cum oratoriam sophistarum

im platonischen Phädrus... Programm... Hanau... 1854. — Lud. B. FOERSTER, *Quæstionis de Platonis Phædro pars prior... Berol... 1869.* — Cf. BONITZ, pag. 276, not. 6.

HAMEL, *Rhétorique ancienne. Analyse critique du Phèdre de Platon, Mémoires de l'Académie... Toulouse... 1859*, pag. 246-283. — LIPKE, *de Platonis Phædri consilio. Gymnasium zu Wesel, 1856.* — J. H. SCHLEGEL, *Platonis dialogum qui « Phædrus » inscribitur exposuit atque explanavit, Offenburgi, 1854.* — H. SCHMIDT, *Quid Plato de arte rhetorica senserit, Argentorati, 1855.*

(1) George GROTE, *Plato and the other companions of Socrates... vol. II. Third édition. London... 1875.* Pag. 232-233, sine ambagibus contrariam opinionem commendat et *Phædrum* scindit quasi in duas partes nullo vinculo inter se connexas: « I have « already stated that the first half of the Phædrus differs materially « from the second ; and that its three discourses on the subject of « Eros... may be better understood by being looked at in conjunction « with the Symposion. The second half of the Phædrus passes into a « different discussion, criticising the discourse of Lysias as a rheto« rical composition: examining the principles upon which the « teaching of Rhetoric as an Art either is founded, or ought to be « founded: and estimating the efficacy of written discourse gene« rally, as a means of working upon or instructing other minds. »

artem vanam et sterilem funditus penitusque evertit, tum suam methodum ædificat naturæ et veritati convenientem, honestam, fecundam. Ad quod in dialogo cetera omnia, vel quæ fortuita videantur, tanquam in rota radii ad centrum, convergunt.

I

DE SOPHISTARUM RHETORICA, QUALIA SINT EJUS PRINCIPIA, ANTE « PHAEDRUM »

Ad dialogum bene intelligendum necesse est novisse rhetoricam sophisticam et quomodo rhetores suam rhetoricam invenerint et informarint. Qui vero Coracem et Tisiam, τὰς ῥητορικὰς τέχνας ab iis scriptas, unum aut alterum eorumdem discipulum successoremve memoravit, is ea de re omnia fere dixit, aut se dixisse credit. Scilicet si præcepta, normas, modos ab antiquissimis auctoribus creata et tradita prope ignoramus, et nos fugit id quod quis doctrinæ eorum *corpus* appellet, *mentem* possumus cernere et deprehendere. Socrates et Plato non solum Coraci (1) et Tisiæ litem intendunt, non solum disciplinam et arti-

(1) Nemo nescit in *Phædro* Coracis nullam esse mentionem. Id hoc modo explicat F. SUSEMIHL, *Index scholarum... Gryphiswaldiæ...* MDCCCLXXXIV. Pag. XI : « Jam enim diu miratus sum « omnes Artium rhetoricarum scriptores a Platone in Phædro « recenseri præter unum omnium antiquissimum Coracem, ejusque « loco Tisiam potius absconditæ illius artis inventorem appellari... « Unde conjeci non duas fuisse Artes Coracis alteram Tisiæ alteram « sed unam eamdemque, cujus præcepta, qualia e Coracis ore audivisset, litteris mandasset eam ipsam ob rem Κόρακος τέχνη titulo « usus ejus discipulus Tisias.... »

ficia Siculorum patronorum derident, alios viros, clariores et multo majoris in civitate apudque privatos ponderis, carpunt, vituperant, exagitant. Sophistas ipsos, sophisticam rationem acriter reprehendunt et infamia notant. Non tanti faciunt formulas et argumenta quæ reis οἱ λογογράφοι, discipulis professores offerunt. Ista Socrates, in *Phædro*, tantum memorat ut et ipse ea jamdiu novisse et expendisse videatur. Vix tangit « ore superbo » procemium, narrationem, dispositiones, probationes, verisimilitudines, refutationem, subrefutationem. Leviter mordet Theodorum Byzantium qui primus commendavit confirmationem primariam et secundariam. Facete celebrat Evenum Parium cui contigit invenire subdemonstrationem et παρεπαίνους, quem etiam dicunt versibus παραψόγους expressisse. Non negat tandem subtiles illos viros omnes de orationis fine consentire, sive eam dicant recapitulationem, sive alio nomine. Omnem vero istam artificiorum supellectilem pro nihilo ducit, nedum minime miretur Poli pulcras periodos et antitheticam symmetriam, Protagoræ elegantiam et concinnitatem, Thrasymachi Chalcedonii ingenium et vim ad commovendos, placandos auditorum affectus (1). Illud nihil est nisi vestis, pellis, tegumen sub quo vera sophistarum doctrina latet, quam Socrates « intus et in cute » novisse studet. Quare non obliviscitur, immo ante omnes memorat Tisiam et Gorgiam « qui veris verisimilia viderunt anteponenda esse, « atque, ut quæ revera parva sunt, ea magna, quæ

(1) *Phædr.*, 267 C, D.

« vero magna ea parva esse videantur, efficiunt per « vim orationis, novisque antiquum et contrariis « novum (1) » colorem induunt. Illa est, paucis verbis definita, rhetorica, illa est sophistica : hanc et illam Socrates et Plato sicut unam et eamdem artem, unum et idem malum detestantur. Nil distat inter rhetorem et sophistam. Si igitur bene perspexerimus quid sit sophista, rhetorem, quid sit sophistica, rhetoricam ipso facto noverimus.

Sophista igitur aut rhetor vir est præditus « illa « orationum arte, qua et Thrasymachus et ceteri uten- « tes et ipsi periti dicendi facti sunt, et alios peritos « faciunt, si qui donis cumulare eos sicut tyrannos « voluerint (2). » Cupiditas autem et ambitionis occupatio sophistam incitat ut cum hominibus colloquatur et humana regat negotia, necnon deterret quin « diis « gratissima, » Socratis quidem exemplo, « possit dicere « et gratissima agere omnia pro viribus (3). » Sophista, rhetor is est sapientiæ magister, quem discipuli emant. At quid hoc rei est ? Nonne ut sapientiam docere, ita sapientiam argento accepto docere, dato discere, Socrate judice, immane est vitium ? Nonne odiosa est superbia si quis profitetur se scientiam tenere ? Nonne Socrates se nihil scire dicit ? Communicationem scientiæ sophista, sicut merces venditor, tractat, et discipulum pro nescio quo emptore habet; Socrates contra veritatis et virtutis inventionem ut

(1) *Phædr.*, 267 A.
(2) *Phædr.*, 266 C.
(3) *Phædr.*, 273 E.

propriam et candidam paris amicorum curam repræsentat. Ita ut magistros malos impugnet, quia fingunt et semet ipsos doctos esse et scientiam, sapientiam, veritatem rem esse venalem (1).

« Illustres enim viri isti qui Græciam percurrunt ut « juvenes aucupentur et seducant, » addictosque sibi et dociles retineant, quasi facultatem ipsi habeant teneros ac molles animos instruendi et ornandi doctrina, quantamcumque alii aliis per orationes tribuere valeant, non possunt in malesanas rationes non deerrare. Quem, ut exemplum proferatur, finem adfectabit sophista cui pater filium dederit educandum? quem discipulus? Ambo quidem appetunt gloriam, honores, potentiam, pecuniam et si quid est simile. Felix esto, metam continge, « angustum per iter luctans ambitionis ! » Sic primum, sic demum rhetor hortabitur juvenem, qui secum quoque reputabit : Sim utinam felix et metam contingam ! Id vero efficiet, si puero placebit, qui a præceptore petet arma omnia ad homines sibi conciliandos, ad favorem acquirendum, non ubique, sed in sua ipsius civitate. Magister igitur veritatem, quoad locus veritati dabitur, non quia veritatem diligit, sed ob utilitatem et commodum quæret, magistrum discipulus imitabitur. Illud vero non negant recentiores ipsi sophistarum patroni et vindices, quorum unus celeberrimus et accerrimus prodeat testis, qui laudat sophistas quod,

(1) Cf. *Xenophontis Memor.*, I, 6, 13 : ibi multo cum contemptu Socrates de sophistis pronuntiat, quos modo quodam πόρνων partes agere arguit. — Cf. *Platonis Soph.*, 231 D : « ἔμπορός τις περὶ τὰ τῆς ψυχῆς μαθήματα. » *Protag.*, 313 C : « καπηλός. »

dum *Athenis*, ut ait, docent, Athenas tantum et Athenienses curant ac respiciunt, ceteras urbes, ceteros homines negligunt. « Nunquam est obliviscen-« dum, ait, eos, qui pueros erudiebant et informabant « ad vitam publicam et *practicam*, inde adductos « fuisse ut semet ad loca, ad homines omnino accom-« modarent (1). » Ita ut et ipsi libenter dixissent :

Non mihi res, sed me rebus subjungere conor.

Sophistæ igitur *verum*, si forte quærunt, non quærunt nisi ad *utile*. Cum autem *utile* non semper est idem, non sibi ubique constat, contra varium est et mobile et multiplex et multiforme sicut tempora ipsa, loca, homines, tum *verum* per se ipsum unum est et immutabile. Inde fit ut *verum* et *utile* sæpissime inter se non congruant, immo repugnent. Quod quidem sophistæ a principio intellexere et perspectum habuere. Neque diu eos latuit sibi auxilio esse posse *verisimile*, *vero* deficiente, atque, ubi *verisimile* quoque labaret, huc posse accedere et multum facere *falsum*, dummodo verisimilis speciem præberet. Nemo non asseverabit doctrinam istam ex institutione sophistica, sicut fructum ex arbore, sua sponte ortam esse et omnem rhetorum artem aut usum consistere in quærendo vero (*relativo*, non *absoluto*, ut in schola dicitur), aut verisimili aut etiam falso ad utile.

Sic agunt sophistæ, omnino Socrati dissimiles, qui toto animo contendit ut possideat verum et bonum

(1) G. Grote, *Histoire de la Grèce, traduite en français par A.-L. de Sadous, tome douzième, Paris*, 1866. — Pag. 178.

absolutum, non verum et bonum quod præcipue exoptant et appetunt Athenæ et Athenienses. Scit enim « non ut conservis placeat conari debere eum qui men- « tem habet (τὸν νοῦν ἔχοντα)..., sed dominis optimisque « et optime natis (1). » Socrates, ut res eadem aliter dicatur, a sophistis haud minus differt quam a relativo absolutum, species a re, experientia vulgaris (ἐμπειρία τις) a pura scientia (σοφία).

Sophistæ, cum ita se gerant, doctrinas suas ipsorum revera ut vivendi et faciendi normam et principium sequuntur. Vel mire congruunt apud eos ratio philosophica et agendi consuetudo, doctrina et mores, dicta et facta. Si vero quæretur utrum e doctrina mores sophistarum manarint, an sophistæ doctrinam finxerint aut sint amplexi tantum ad mores explicandos et defendendos, magnam et obscuram quæstionem non adgrediar dijudicare. Sed, utut res se habet, haud immerito sophistæ fuerunt accusati sive quod doctrinam admitterent omnium vitiorum creatricem ac malorum, sive quod doctrina ad hoc composita tegere mala et vitia vellent. Hoc autem habet aliquid momenti, scilicet pernoscere et dilucide videre quam arcto inter se vinculo *metaphysica* et rhetorica sophistarum cohæreant. Quæ conjunctio et quasi cognatio clarissime et certissime apparet ex omnibus dialogis Platonicis quibus sophistæ intersunt (2).

(1) *Phædr.*, 274 A.

(2) Cf. G. Grote, *Histoire de la Grèce. . tome douzième, Paris, 1866* ; — J. Denis, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité... Deuxième édition. Tome premier. Paris, 1879*, pag. 32 sqq.; — Georges Perrot, *L'éloquence politique et judiciaire à*

Protagoras enim, cum vetus dogma in Heracliti imprimis schola receptum, omnia fluere, atomosque semper moveri, res perpetuo mutari, nunquam consistere, admisisset, mox ad universam negationem aut dubitationem delapsus est. In libro suo *de Veritate* explicabat sane et defendebat celeberrimam ipsius sententiam, « rerum omnium mensuram hominem esse, « earum quæ sunt, ut sunt, earum quæ non sunt, ut « non sunt (1). » Inde porro consequitur « ut res non « sint neque fiant nisi quatenus ab aliquo sentian- « tur..., item ut tales sint, quales unicuique esse « videantur, hoc est diversis diversæ... Jam vero cum « et res sensibiles et homines sentientes in perpetuum « mutentur, de sensibus vero pendeat omne judicium, « quid restabat quam ut de nihilo constare omnes « hominum opiniones, etiam de legibus, de diis usu « tantum receptas esse contenderet (2)? » Protagoras autem, dum veritatem nihil aliud esse quam mobilem speciem contendit, eloquentiæ sophisticæ consulit. Sapientem enim animi medicum esse opinatur, qui in animo creat non veriora, sed meliora et utiliora : eo modo sollers bonusque rhetor curat et in feliciorem statum adducit animos privatorum et civitatum, nam, per vim orationis, privatos et civitates sensibus,

Athènes. Première partie... Paris.. 1873, pag 44-95; — A. Fouillée, *La Philosophie de Socrate, tome second, Paris, 1874,* pag. 319-351; — E. Boutroux, *Socrate fondateur de la science morale. Séances et travaux de l'Académie des Sciences morales et politiques. 43e année... 1883,* pag. 387-408, 668-709, *deuxième semestre.*

(1) *Theaet.*, 152 A.

(2) H. Ritter et L. Preller. *Hist. Philos. G. et R. ex fontium locis contexta... Gothæ...* 1878. Pag. 136.

opinionibus bonis atque utilibus instruit (1). — Rursus agitur, nec diffitendum, de privato uno, de una civitate, et de bono eo quod hic privatus, hæc civitas desiderare possit, id est de bono vulgari, de grato, de utili, de virtute politica et œconomica, nullo modo de bono absoluto et virtute vere philosophica. — At enim, cum nil sit præter species *relativas*, ex hoc patet cogitata aut dicta nunquam in universum valere, et in contrariam partem de rebus omnibus posse disputari. — Neque est alia Protagoræ sententia. Neminem refutabis, cum omnis cogitatio vera esse ei videatur qui eam habet. Sed omnes refutabis, quia id utile est et fructuosum. Nempe ars est quædam quemcumque refellendi et auditorem tanquam per longam specierum seriem tecum ducere ut quod cogitas, id cogitet, quod vis, id velit. Orator callidus noverit quanam verborum industria causa inferior fiat superior, causa superior fiat inferior, nam qualis apparebit et esse videbitur, talem eam esse credent homines (2).

Plato, in *Menone*, Protagoram inducit hominum sicut exemplar experientia usuque vulgari instructorum, quibus sapientia et veritatis cognitio contingat prope fato divino et casu, δόξῃ καὶ εὐτυχίᾳ, non philosophando ac scientia, ἐπιστήμῃ καὶ εὐπραξίᾳ (3). Neque injuria. Omnia esse species Protagoras opinatur. Ergo,

(1) *Theæt.*, 167 B, C.

(2) Cf. Alfred Fouillée, opera laud. et Le Gorgias, *Paris*, 1874, *Introduction*. — Mihi quantam opem et lucem libri illi laboranti et dubitanti prætulerint, neque possim dicere, neque dixisse non velim.

(3) *Men.*, 99 B.

ut multitudini placeat, oratorem oportet loqui secundum speciem majori numero acceptissimam sive opinionem communissimam; ut sibi auditorum conciliet animos, idem maximam dabit operam ut id perspiciat et verbis exprimat quod ante omnia auditores colunt ac diligunt. Quare Protagoras populum delinit pulcris de bono et virtute declamationibus aut communibus diserte decoreque ad aures vulgares accomodatis locis (1), sed coram amicis, intra parietes, ut fucum faciat, suæ præstigias omnes innumeraque artificia eloquentiæ libere explicat, θέσεις sive ancipites disputationes eligit, « in quibus de universo genere in utramque partem disseri licet (2), » nunc hoc nunc illud defendit, ita ut miscere contraria et reconciliare videatur.

Dum Protagoras quodammodo esse aliquid fatetur, Gorgias contra nihil esse demonstrat. Sed, quamvis alius aliud dicat, utriusque doctrina fructus parit eosdem. Etenim Gorgias adfirmat nihil esse; adfirmat igitur et nihil esse absoluto modo, neque scientiam neque rem moralem neque rem politicam, et demum omnes hominum disputationes de speciebus fieri. Ita ut, quod nos ad nostrum *Phædrum* reducit, « nullo « pacto veritatem possidere oporteat justis bonisve de « rebus, aut etiam de hominibus qui tales seu natura « sunt seu educatione, illum qui futurus sit idoneus « rhetor. Nemo est enim qui in judiciis illarum rerum

(1) Neque Socrates ipse oratorem vetat locis uti communibus, quatenus id legitimum sit et necessarium. « Ἀλλ', οἶμαι, τὰ μὲν « τοιαῦτα ἐατέα καὶ συγγνωστέα λέγοντι. » *Phædr.*, 236 A.

(2) Cicer., *de Or.*, III, 21.

« veritatem curet, sed probabilitatem (τὸ πιθανόν);
« idque est verisimile (τὸ εἰκός) cui debeat studere si
« quis vult artificiose dicere... Et uno verbo dicentem
« verisimile illud quærere necesse est, dum sæpissime
« jubet valere veritatem (πολλὰ εἰπόντα χαίρειν τῷ
« ἀληθεῖ)... (1) »

« Haud immerito credas, ait *G. Grote*, Gorgiam
« multum doctrinas ejusmodi commendasse, ut disci-
« pulos a vanis deterreret speculationibus quas ipse
« ingratas et infructuosas esse judicabat (2). »

Ad concludendum, omnem cogitationem veram esse cogitanti adfirmat Protagoras, nullam cogitationem veram esse cogitanti adfirmat Gorgias. Nonne illud est argumentum utrinque feriens, quo evincitur nihil extra species esse? Quamobrem non mirum est Socratem sophistas ita contempsisse et iis litem implacatam intendisse. Veritati philosophia studet, probabilitate et speciebus continetur rhetorica. Veritatis amor gignit scientiam (ἐπιστήμην), probabilitas opinionem (δόξαν). Quantum autem scientia ab opinione distet, sæpe et magno verborum vigore Socrates significat. Omnis enim ars, inter arctissimos opinionis fines sæpta et captiva, infra verum τέλος, id est supremum bonum, turpiter et humiliter jacet. Scientiæ cohæret ἡ εὐπραξία, quod verbum una significat bene cogitare, bene dicere, bene agere. Ex opinione vero pendet ἡ εὐτυχία, id est fortuita felicitas, id est omnes artes, omnes disciplinæ, quæ alia dicunt, alia cogitant et agunt, atque

(1) *Phædr.*, 272 D, E.
(2) *Histoire de la Grèce...* XII, pag. 194.

ratione simul et oratione et actione idem non præstant (1). Philosophus cogitat et dicit ad bene agendum; sophista, rhetor disputat et dicit ut hominibus placeat, honores et pecuniam adipiscatur. Quare philosophus declarat sophisticam et rhetoricam esse malam per se ipsam, malam per ipsius fructus. Cui nequidquam Gorgias refragatur : « Juste autem et « rhetorica uti (possunt), sicut luctandi arte. Si « vero, puto, rhetor factus quis deinde per facul- « tatem illam et artem peccarit, non ejus magis- « trum sit necesse et odisse et ejicere e civitate. « Nempe cum hic (artem) ad justos usus suppeditavit, « tum ille contrario modo exercuit. Ergo qui non « recte (arte) utitur eum odisse justum est et pellere « et interficere, sed nequaquam magistrum (2). » Gorgiam Socrates ita fere confutat : qui veram scientiam habet, is bene cogitat, bene agit. Qui contra male agit, is et male cogitat et veram scientiam non habet. Rhetores injusti sunt: ergo justitiam ignorant; nam qui rectam justitiæ habet notitiam, is justitiam servat.

Hæc est igitur, paucis verbis adumbrata, brevi definitione comprehensa, illa rhetorica, « ars scilicet

(1) Cf. Fouillée, *Platonis Hippias Minor*..... *Parisiis MDCCCLXXII*, pag. 37 : « Neque aliud magis Socrati solitum quam « illa disciplinarum bipartita divisio, quarum aliæ multiplices, am- « biguæ, et ἀμφίλογοι, in inferiore opinionis ac fortunæ, τῆς δόξης « καὶ τῆς εὐτυχίας, regione versantur ; una vero, ad unum et idem « pertinens, semper ad supremum bonum conversa, — dialecticen « dico, — serenam et immutabilem sapientiæ et virtutis, τῆς ἐπισ- « τήμης καὶ τῆς εὐπραξίας, regionem occupat. »

(2) *Gorg.*, 457 B, C.

« animos et mentes dicendo captandi et persuadendi « in judiciis et in ceteris publicis conventibus..., de « justo et injusto, de rebus bonis et malis (1)... » per verum *relativum,* aut verisimile, aut etiam falsum.

(1) *Phædr.*, passim.

II

DE SOPHISTARUM RHETORICA, QUALIS SIT IN « PHAEDRO »

E dialogo *Phædro* satis apparet quid sophistarum rhetorica sit, dum, si quis eorumdem placita de eloquentiæ natura ac finibus penitus intelligere velit, is et *metaphysicam* modo expositam meminerit, quæ est quasi necessaria indagatio, primus aditus ad hanc quæstionem.

Quæstio vero duas partes patitur. Etenim, primum Socrates Lysiæ oratiunculam, quam Phædrus attulit et legit et laudavit ut perfectissimum opus et prope unicum exemplar, examinare attente et minutatim recensere velle, dein omittere, videtur « Hanc vero, inquit, « ne irascaris, linquemus (1). » At Phædrus ipse, Phædrus « qui intimam Tisiæ doctrinam perscrutatus « est, » Socratem docere properat a sophistis institutam persuadendi rationem inventaque præcepta. Ita ut Socrates eat naturali motu ab oratione Lysiæ ad normas expendendas secundum quas eam Phædrus ait compositam esse. Ut eamdem viam, eamdem rerum

(1) *Phædr.*, 264, E.

dispositionem servemus, jam nobis in Lysiana oratione paulisper commorandum est (1).

Nemo neget oratienem hanc habere novum quid et singulare, pæne nobis, ut paulo Atheniensibus severiores aut timidiores sumus, judicibus subturpiculum. Athenis vero suetum erat omnibusque acceptissimum lepidis nugis et verborum quodam ac cogitationum lusu tempus conterere. Quare Socrates Lysiam carpit non quod malam et parum pudicam causam agat, sed quod rem, quæ nunquam fuit aut erit, neque verisimilis quidem est, finxerit. « Scripsit enim Lysias ten-
« tatum esse pulcrum quemdam, sed non ab amante...
« Nempe has ipsas delicias addidit : dicit enim gratifi-
« candum esse ei qui non amat potius quam amanti
« (2). » Illud vero Socrati jam satis est ut non sine irrisione exclamet : « O generosum ! Utinam scripsisset
« gratificandum esse pauperi potius quam diviti, et

(1) Utrum oratio ea Platonis sit an Lysiæ, adhuc dubitatur. Ea de re, quæ quidem hic parvi est momenti, vide *Stallbaum, op. l.*, pag. LIX et not. pag. LIX-LXV ; — Ott. MULLER, *Histoire de la Littérature grecque, trad. Hillebrand*, in-8, II, pag. 578 ; — G. PERROT, *op. l.*, pag. 246-247, qui prioribus consentit et hoc modo concludit :
« Ce qui paraît donc le plus vraisemblable, c'est que Platon, avec
« sa verve enjouée et féconde, se sera diverti à copier les procé-
« dés et le tour de Lysias ; il aura voulu montrer que, si les
« ennemis de la rhétorique méprisaient ces fausses beautés, ce n'était
« point par impuissance et par envie, qu'il leur aurait été facile, s'ils
« avaient daigné s'y appliquer, d'égaler ceux qui faisaient un si mau-
« vais usage de leur talent. » — Incertus vero est auctor eminentissimus, J. GIRARD, *Etudes sur l'Eloquence attique, Paris*, 1874, pag. 6, 43. — Lysiæ tandem amatoriam istam declamationem adscribit E. EGGER, *Observations ...., Annuaire de l'Association... des Etudes grecques*, 1871. — Cf. BONITZ, *op. l.*, pag. 272, not. 3.

(2) *Phædr.*, 227 C.

« seni quam juveni, et si quos eadem notant quæ me « et plurimos nostrum (1). » A Socrate jure Lysias naso suspenditur, quippe qui omnem industriam et artem in hoc consumat ut rem falsam et absurdam, quasi vera sit et justa, exponat et prædicet, ac voluptatis causa loquatur, ut ingenium et subtilitatem ejus discipuli laudent, non ut ipse discipulos ad bene cogitandum agendumque excitet, convertat. Attamen Socrates docilem et apertam aurem Phædro præbet libellum Lysianum legenti, et, recitatione finita, in gaudium et admirationem erumpit. Neque autem inde Phædrus decipitur, at Socratem orat, jubet ut quam sincerrime suam sententiam expromat : « Credisne tu « quemquam alium Græcorum habere unde dicat « majora et plura de eadem re ? (2) » Tunc Socrates, quasi invitus suum sensum jam non jocis et cavillationibus tectum et inumbratum aperiat, multa vi et formam et res orationis Lysianæ vituperare, auctori vitio vertere quod vix unum aut alterum argumentum protulerit : « Et visus est denique mihi pueriliter agere « demonstrans qua facilitate aliter et aliter eadem « dicens utroque modo loqueretur optime (3). » Phædrum vero repugnantem et pro Lysia reclamantem ut

(1) *Phædr.*, 227 C. — Notandum est Lysiam de amore fuisse locutum, potius *scripsisse* non ut finem propositum attingeret, sed, quod maxime Socrati displicebat, fortuito (οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον) et ludendi causa.

(2) *Phædr.*, 234 E. — Cf. 234 C : « Τί σοι φαίνεται, ὦ Σώκρατες, ὁ λόγος ; οὐχ ὑπερφυῶς τά τε ἄλλα καὶ τοῖς ὀνόμασιν εἰρῆσθαι ; » Phædrum afficiunt admiratione potissimum *verba ;* res, id est τὰ ἄλλα, parvi sunt momenti.

(3) *Phædr.*, 235 A.

illusione purget et ad melius judicium inclinet, Lysiæ propositum Socrates tentare non dedignatur et retractare. Cum haud paucis quæ Lysiam fugere argumentis utatur, inde patet Lysiam materiem, quam ipse elegit et sibi ultro sumpsit explicandam, non exhausisse. Ne vero diutius primam hanc Socratis oratiunculam circumvectemur, ejus virtutes Lysianis vitiis quasi respondent eaque notant ac denuntiant. Enimvero est Socratis oratio, ut ipsius verba usurpem, « tanquam animal composita, et corpus habet suum « ipsius proprium ita ut neque sine capite sit neque « sine pedibus, sed et medias partes habeat et extre- « mas convenientes inter se summæque attempe- « ratas (1). » Contra Lysias a principio rem de qua locuturus est ne indicat quidem, nedum definiat, exordium fini simile habet (2), non concludit, omnia cumulate miscet aut disjicit, uno verbo nullum antea descriptum servat rerum ordinem. Cum Phædrum pudeat Socrati in Lysiam ita invehenti adnuere, assimulata modestiæ specie, semet profitetur non tam eruditum esse ut omnes operis illius elegantias et subtilissimam dispositionem penitus introspiciat (3). Sed frustra ad dulcedinem et clementiam inclinat Socratem qui, necnon est facetissimus is litem claudendi modus, Lysiæ orationem comparat cum regis Midæ epitaphio ad quod legendum nullius rei intererat a primo versu incipere vel ab ultimo: nam utroque modo idem, etiam,

(1) *Phædr.*, 264 C.

(2) Cf. *Phædr.*, 264 B : « Ἔστιν γέ τοι δή, ὦ Σώκρατες, τελευτὴ περὶ οὗ τὸν λόγον ποιεῖται. »

(3) *Phædr.*, 264 B.

ut totam Socratis cogitationem detegam, minimus patebat sensus (1).

Lysiam (2) igitur Socrates jam judicavit aut damnavit, unum inter Tisiæ discipulos celeberrimum quem Athenienses ut eloquentiæ magistrum et sollertissimum orationum scriptorem æstimabant; rhetor ille, quem Phædrus tanta et admiratione prosequitur et amicitia fovet, in rebus frivolis et nugis tempus terit ingenioque abutitur, dum artem opus componendi et justam partium œconomiam videtur nescire aut certe omittit.

Nunc Socrates rhetoricam ipsam petit. Jam, quæ res est rhetorica? « Ergo num ad summam rhetorica « sit ars quædam regendi animos (ψυχαγωγία τις) per « orationes, non solum in tribunalibus et ceteris publi- « cis cœtibus, sed in privatis..,? » Phædrus contra: «... Ut præcipue quodammodo in judiciis dicitur scribi- « turque secundum artem..., sic quoque in concioni- « bus... (3). » Ita ut intra fines quam arctissimos rhetorica se contineat, usus sit tantum quidam et exercitatio ratione destituta, atque inde res paucissimas attingat, nedum, ut veram decet scientiam et veram artem, omnia comprehendat et ad omnia valeat. Socrates vero ad illud, quod rhetores ipsi profitentur, quodque ei satis sit ut rhetoricam despiciat, non atten-

(1) Cf. *Phædr.*, 260 B, C, ubi Socrates eos deridet qui vilem asellum pro strenuo et nobili equo æstiment et emant: nonne item Lysias hominem frigidum et amoris expertem pro viro quem amor incendit collaudat et prædicat?

(2 Cf. G. Grote, *Plato and the other...*, II, pag. 254 sqq.

(3) *Phædr.*, 261 A, B.

dere videtur; sed primum, quoniam rhetores dicendo, perpetua et continuata oratione, homines, non unum, hunc aut illum, separatim, at plures congregatos persuadere gestiunt, adminiculo rectæ rationis fretus, necesse esse contendit eos veritatem rerum de quibus agunt ante omnia novisse: at in hoc Socratem tota errare via Phædrus opinatur qui « hocce modo ea de « re disserentes audivit...: non oportere oratorem « futurum ea quæ revera justa sint doceri, sed ea « quæ talia videantur multitudini, quam penes sunt « judicia, neque ea quæ vere bona aut pulcra, sed « omnia quæ videantur: ex iis enim pendere facultatem « tem persuadendi, nullo modo e veritate (1). » Socrates vero placitum illud sophistarum ac rhetorum, verisimile magis quam verum ad persuadendum efficere, haud semel tractat, retractat, penitus excutit, et merito, quia hoc est totius sophisticæ, rhetoricæ fundamentum. Sed ecce proferunt etiam pejus quid et audacius. Nempe, qui jam adfirmavere rhetori ut persuadeat nullius esse momenti veritatem, iidem, si vir quis veritatem ipsam invenit et occupavit, illum declarant non nisi rhetorica duce et adjutrice bene et feliciter posse dicere, artemque dicendi nullum cum philosophia habere negotiam. « O mirabiles!... proclamat « rhetorica, ego nullum vera ignorantem cogo ut dis- « cat orare, sed, si quis mea consilia sequatur, poti- « tus veritate sic me occupabit; atque hoc igitur, « quod magnum, dico, sine me vel eum, qui essentias

(1) *Phædr.*, 260 A.

« (τὰ ὄντα) noverit, nullo modo meliorem esse ad arte « persuadendum (1). »

Postquam vero Socrates suam cogitandi et docendi rationem, dialecticen, descripsit, Phædrus, id sive parum intellexerit sive non approbet: « At, ait, rheto- « rica videtur mihi nos adhuc latere (2). » Socrates autem ab eo subdole rogat ad quid alludat, et Phædrus respondet se præcepta et regulas rhetorum velle dicere. Quæ vero Socrates ipse, ut supra dixi, exponit et denumerat, sed breviter et cursim. Nempe satius ei fuit et facilius de perridiculis artificiis jocari et lepide loqui. Contra, ut clementem profiteatur indolem, parcit et inventoribus sterilissimæ rationis et discipulis quotquot se dicendi peritos inde fore confidunt.

Ergo rhetores, licet se artis hujus compotes esse adfirment, speciem tantum et inanem umbram sequuntur ac tenent. Etenim, postquam discipuli præceptis formulisque et regulis semet implevere et oneravere, adhuc impares esse orationi ad persuadendum aptæ componendæ videntur, et nullam nisi in se ipsis habent opem et adjumentum, si forte dicere et agere cogantur. Rhetorica demum, quam sophistæ prædicant, neminem unquam veram eloquentiam docuit aut docebit, quippe quæ nihil sciat, ad nihil valeat, quamvis se omnia scire, ad omnia valere audacter contendat.

Volunt rhetores et sophistæ ceteros homines persuadere. Sed alium quoque prosequuntur finem, po-

(1) *Phædr.*, 260 D.
(2) *Phædr.*, 266 C.

tentiam, honores, divitias. Agunt et dicunt ut « donis, « sicut reges, cumulentur. » Coram hominibus loquun- « tur, ut humanis negotiis interesse possint; « student denique « placere conservis suis (hominibus), non do- « minis excellentissimis et ingenuis (deis). »

Rhetorica igitur, ut jam dicta repetam, magis ac magis est ars persuadendi homines, de justo et injusto, de utili et non utili, per verisimilia etiamque falsa.

III

QUOMODO IN « PHÆDRO » RHETORICA REPREHENDATUR ET EXAGITETUR

Socrates, qui vult demonstrare quam rhetorica falsa et ad persuadendum manca sit, non secundum artem et præcepta disputat, neque ita cogitationem et placita sua ordinat ut docere ac magistri partes agere videatur. Nunc evagatur, nunc ad propositum redit, nunc quod jam dixit, id repetit iterumque et denuo exprimit. Sed, vel dum rem suam videtur negligere, nititur ut eam in clariore ac majore luce collocet, ut etiam invitum, fere inscium Phædrum persuadeat, convincat. Ceterum non orationem continuam declamat; cum amico sermocinatur, quam artem mirifice adamat et excolit. Nemo unquam magis ignoravit justas orationis apposite faciendæ condiciones: itaque, postquam a Phædro coactus Lysiani 'Ερωτικοῦ alteram editionem, non dico longiorem, certe correctiorem et emendatiorem, dein ad placandum Amorem palinodiam illam ex improviso effudit, juvenem deterret ne laudet et celebret hominem, cui solum contigit dæmonis interioris aut ἐντοπίων numinum interpreti esse.

Sed Socrates frustra repugnat, neque ejus modestia rei obstabit. Scilicet longe in orationibus componendis

Lysiam superat : id e prima ejus oratione manifestum est, qua Lysiam lepidissime deridet (1). Lysias enim, ut re patet, non demonstravit eum qui non amat vere amanti esse præferendum. Illud contra Socrates quam facillime obtinet, dummodo auditor definitioni amoris ab initio positæ assentiatur : unde cetera sponte effluunt. Socrates, valde dissimilis Lysiæ qui primo impetu in medias res irruit parumque curat sive unde veniat, sive quo eat, meliorem et tutiorem tenet viam. Primum propositum suum aperit ; dein amorem definit, postquam ad hoc eum cum ceteris animi adfectibus contulit ; tertium magna vi probat virum, si quem amor cepit et dementem fecit, acriter odisse et impugnare solere omnia semet ipso superiora vel ipsi æqua. Illa vero amplissima sententia in plures alias sententias ultro scinditur quibus constat tota argumentatio, quam demum Socrates concludit et eximie illustrat hoc proverbio : « Ut lupi agnum appetunt, « sic puerum diligunt amatores (2). »

Socratis oratio Lysianæ maxime discrepat. Nempe habet suum initium, medias partes et finem, ut recte fictam et dispositam decet. Adde quod orator ficticius revera est amans qui amorem callide celat : ita ut amor ipse amorem impugnet et defendat, vincat et victorem efficiat. Denique Socrates argumenta nisi optima et honestissima non profert. Lysias contra res humillimas et prope abjectas tantum curat et respicit. Socrates, qui sublimia cogitat : « Invidebit igitur, ait,

(1) Socrates non majoris pretii facere videtur suam quam Lysiæ oratiunculam : *Phædr.*, 241 E, 242 A.
(2) *Phædr.*, 242 D.

« amans amato, et, quia eum a multis aliis societati-
« bus arcebit, licet utilissimis, unde præsertim vir
« fiat, magni causa erit damni, et præcipue ab illa
« unde prudentissimus sit. Hæc vero divina philoso-
« phia est, a qua amator puerum debebit procul abdu-
« cere, ne ipse ab eo valde contemnatur (1). »

Phædrus autem, licet eum Socratis oratio maxima admiratione adfecerit, dolet tamen Socratem, quemadmodum omnia mala ab amante instantia amato enumeravit, sic non enumerare omnia bona quæ amicus frigidus puero præstiturus sit. At disputatio, si creditur Socrati, ut absoluta sit, ne id quidem desiderat. Nempe « omnia quæ huic nocent, eadem illi e contra-
« rio favent (2). » Quod enim cum re aliqua non congruit, id cum contraria necesse est congruere.

Haud potuit Socrates lepidius et urbanius Lysiam refellere et corrigere. Jam suam ipsius methodum aperiet, quæ et qualis sit, quanto salubrior ac melior explicabit et illustrabit, simul ambitionem et superbiam rhetorum funditus evertet, qui pro vero et demonstrato habent discipulos, ut bene dicendi artem obtineant, satis facturos si ipsorum libellos et commentariola noctem ac diem versabunt aut ληκύθους combibent, vel, quod audacius, si magistros orantes et declamantes animis demissis, erectis auribus audient et mirabuntur (3).

(1) *Phædr.*, 239 A, B.
(2) *Phædr.*, 241 E.
(3) De hoc E. Boutroux (op. l., pag. 339-403) acutissime et optime sic disseruit : « Or à quoi pouvait tenir cette impuissance des
« sophistes, sinon à la méthode qu'ils employaient? Cette méthode,

At Socrates minime credit rhetoricam artis nomine esse dignam. » Quosdam enim audire est... testan-
« tes eam mentiri neque esse artem, sed artis exper-
« tem exercitationem (ἀλλ' ἄτεχνος τριβή). Dicendi autem,
« ait Laco, mera ars nisi cum veritate conjuncta
« neque est neque unquam erit (1). » Laconi Socrates sane assentitur. Sed id in præsens vix indicat, nedum aperte declaret. Sibi autem suæque constans methodo se rerum ignarum esse fingit. Primum adversarios per viam ab iis electam comitari aut sequi videtur, deinde paulatim mutato itinere ad novam metam inscios et invitos secum adducit. Sophistas errare, mentiri, quis scit eo melius? En tamen acceptat et arripit errrorem ac mendacium: inde veritas ipsa orietur.

Rhetoricam igitur Socrates esse aliquid et agere non negat etiamque artem persuadendi libenter appellat. Sed mox Phædrum impellet ut a sophistis desciscat, ad se inclinet. Nuper quidem Phædrus dixit rhetoricam in judiciis tantum et contionibus versari. — At, quoniam rhetorica est ars contradicendi (ἡ ἀντιλογική), manifestum est artem hanc in omnibus vitæ negotiis adhiberi. Nonne, ut exemplum usurpetur, Palamedem Eleaticum, sive Zenonem, « tanta dicentem arte novi-

« c'était la pratique livrée à elle-même, et écartant toute théorie
« comme vaine et inutile, c'était l'art considéré comme étant à lui-
« même son moyen et sa fin... Mais il y a plus: non-seulement l'art
« ne peut être à lui-même sa fin, mais il ne peut naître du seul
« exercice et de la seule pratique. Si l'art pour l'art est dangereux,
« l'art pour l'art est impossible.. »

(1) *Phædr.*, 260 E.

« mus ut videantur audientibus eum eadem similia et « dissimilia, unum ac multa, manentia denique et se « moventia? (1) » Quid autem est illud, nisi philoso phica disputatio? At de philosophia agitur neque in tribunali neque coram populo. Ergo rhetorica non intra orationes seu judiciales seu politicas se continet. — Hoc quidem notandum est: cum Socrates campum majorem rhetoricæ aperiat et assignet, cum eam amplificet atque, ut ita dicam, dilatet, inde fit ut necessario et merito dicat omnia quæ sequuntur. Si verum sit et justum rhetoricæ non locum esse nisi in tribunalibus et publicis conciliis, eam Socrates indignam ducet quam vel obiter consideret: non est enim unus inter eos qui populum lenociniis verborum demulcent et captant, ad honores obtinendos, vel laqueis orationum judicem irretiunt, ut amicis, clientibus, sibimet reis succurrant, sontibus impunitatem concilient. Sed quia ars persuadendi longius it et latius, nedum in arctiore carcere maneat, eam Socrates suscipit emendandam, purgandam, ad res majores promovendam.

Artem vero, cujus Socrates formam et exemplar intra se excogitavit, qualis sit ne suspicantur quidem sophistæ. Dum gestiunt nunc pro sua parte loqui, nunc ceteros docere quomodo fiat disertus orator, simillimi sunt hominibus istis qui, quoniam nonnulla remedia noverunt, medicos, vel, quoniam explicare aut paucis comprehendere fabulam callent, poetas tragicos, vel, postquam ipsis semel accidit chorda tentata

(1) *Phædr.* 261

sonum gravissimum acutissimumve dare, peritos musicæ se esse profiteantur. Ideo vero non oportet illos conviciis cumules, ut bonus Phaedrus amentiam et stultitiam iis exprobat. « Non opus est irasci, sed « ignoscere, si qui ignari quidem dialecticæ non « potuerunt definire quid demum sit rhetorica, et eo « malo laborantes, postquam antecedentia artem « rudimenta comparavere, rhetoricam ipsam credi- « dere se invenisse, illaque dein docentes alios opinan- « tur se iis absolute rhetoricam tradere (1). » Hoc est illorum, secundum Socratem, maximum et capitale vitium, dialecticam ignorare. Itaque Socrates Phædro persuadere studet eum, quamdiu non optime philosophabitur, nunquam recte de ulla re locuturum esse (2).

Etenim Socrates dialectica instructus artem persuadendi examinat. Scilicet student rhetores ceteros homines persuadere verisimile adhibendo. Qui ad vulgus et ad vulgi opiniones se accommodare et flectere, is et persuadere vulgus potest. « Nullo pacto verita- « tem possidere oportet justis bonisve de rebus, aut « etiam de hominibus qui tales seu natura sunt seu « educatione... » Sed in hoc rhetores duplici errori « indulgent Nam, ut bene dicas, primum necesse est te scire. Tibi in animo est ut audientibus verisimilia persuadeas. Quid autem est illud, verisimilia dico? Nonne hoc verbo ais falsa, quæ plus minus veris similia sint? Ergo, eo magis quod verisimilia verorum speciem et figuram habebunt, audientibus

(1) *Phædr.*, 269 B. C.
(2) *Phædr.*, 261 A.

fidem facies. At quo pacto tu videbis et censebis hanc aut illam rem veritati similem vel dissimilem esse, si et naturam rei ipsius et veritatem ignorabis, atque, uno verbo, unde duo illa elementa inter se compares non habebis ? Aut enim, ut decet veritatis ignarum, opinionem tantum sectaris, et dicendi artem profiteris absurdissimam et maxime ridendam, indignam quæ ars vocetur ; aut, licet veritatem cognitam habeas, veritatem negligis, potius contemnis, opinionem triumphantem facis, mores prædicas pessimos omnium et funestissimos

Ergo vera rhetorica, nisi e scientia et ad scientiam orta, non est. Quarum vero rerum scientia dicitur? Socrates quidem in præsens dicit tantum scientiam « rerum de quibus disputatur, ut clarum est. » — Mox oratorem jubebit scientiam omnium rerum possidere. — Oratoris sane non est naturam ferri aut argenti inquirere, quippe de qua omnes consentiant. Sed de justitia, veritate, amore, multæ et magnæ coortæ sunt et cooriuntur apud homines controversiæ : nuper Socrates primum amorem amanti et amato maximum damnum, dein eumdem iisdem maximum bonum esse demonstravit, ita facile est dicenti et ceteros et se decipere. Nempe « plerosque fugit se « ignorare essentiam cujusque rei. Quasi igitur sciant, « non inter se consentiunt a principio disquisitionis, « et progressi debitam pœnam solvunt (τὸ εἰκὸς ἀποδι- « δόασιν, *Stallbaum*): neque enim unus secum, alii « cum aliis concordes sunt. (1) ».

(1) *Phædr.*, C.

Illud est maximum malum, cui Socrates remedium adhibet. Si quæretur cur prima ejus de amore oratio satis plausibilis esse videatur, quamvis non veritatem exprimat, reperietur eum definitionem quamdam amoris et verisimilem et etiam aliqua parte veram a principio dedisse, post explicasse et confirmasse ita ut rem quam in exordio, eamdem, aliis quidem verbis, in conclusione dixerit, auditore adnuente, utpote qui, ex hoc ipso quod definitioni assentiebatur, jam conclusioni præfaveret. Definitio autem illa neque universa neque vera fuit : nam amor non solum est delirium quoddam humanum et ab hominibus, at præsertim delirium divinum a Venere inspiratum. Hoc autem Socrates definire studet *per differentiam*, ut aiunt scholastici, non minus quam amorem humanum. Quemadmodum appetitum, quem vocant amorem, cum ceteris corporis adfectibus contulit, sic delirium amatorum comparat cum delirio prophetarum, initiatorum, vatum, et id distinguendo, secernendo a rebus quæ ei sunt similes, ejus intimam et veram introspicit naturam, amoris denique amplam eamdemque certam, bene definitam notionem invenit. Ita fit ut Socrates a proposito suo nunquam declinet, nunquam egressionibus vanis indulgeat, quod sophistis accidere solet. « Semper eadem dicis, o Socrates. — Non so-« lum quidem, o Callicles, sed et de iisdem (1). »

Hunc igitur primam oportet servare regulam in oratione factitanda : « In unam ideam conspiciens « (orator) reducat dispersas notionum partes, ut quam-

(1) *Gorg.*, 490 E

« que rem definiendo manifestum faciat id de quo « semper disserere velit (1). » Dein, ut bene materiem tractet et explicet, eum decet « rursus et speciem « posse dissolvere secundum partes naturales, et ca- « vere ne dilaceret aliquam partem, mali coqui ins- « tar (2). » Ut aliis verbis utar, necesse est primum facere unum e pluribus, secundum plura ex uno, si quis et summam et multiplices partes unius rei optime intelligere et complecti velit.

« Illos autem, qui hujus artis participes sunt, recte « an non Socrates appellet, deus videat, appellat igi- « tur usque ad hoc dialecticos (3). » Facere vero unum e pluribus est definire, facere plura ex uno est dividere. At quidquid agitur, agitur ad inveniendam et exprimendam definitionem, qui est quasi ultimus dialecticæ finis. « Sunt enim duæ res, ait Aristoteles, « quas tu ad Socratem referas merito, sive per induc- « tionem orationes et universas definitiones, τούς τ' « ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου (4), » et divisionem, dicat aliquis, ut nihil omittatur et Socratis methodus recte describatur. In unam ideam dispersæ notionum partes inductione coguntur, inductione variæ species ad generis unitatem rediguntur. Inductio quoque divisionem antecedit. Nam, ut ab universo ad singula descendas, nonne te necesse est ante omnia universum excogitare et bene perspectum tenere ? Divisio vicissim genus unum in varias species distribuit. Deni-

(1) *Phædr.*, 265 D.
(2) *Phædr.*, 265 E.
(3) *Phædr.*, 266 B
(4) *Met.*, M, 4.

que e plurimis et ordine factis inductionibus divisionibusque quasi sua sponte enascitur definitio. Scilicet ratio analytica varietatem explicat et ratio synthetica unitatem componit; definitio quali modo et quantum hic et ille *terminus* sint conjuncti clare significat. E duobus igitur constat elementis : primum indicat quibus partibus et quatenus res, de qua agitur, aliis rebus sit dissimilis, id est ejus monstrat *proximas differentias*, deinceps indicat quibus partibus et quatenus res, de qua agitur, aliis rebus similis sit, id est ejus *genus* demonstrat. Atque, ut ipsa verba Socratis proferam :
« Ergo nonne sic cogitandum est de cujusque rei na-
« tura? Primum quidem, simplex aut multiplex est id
« cujus notitiam studemus et ipsi habere et ceteris
« adferre? Deinde vero, si id est simplex, quæ est facul-
« tas ejus (δύναμιν), sive aliam rem adficiat, sive alia
« re adficiatur? Si contra plures species præbet, nonne
« illæ denumerandæ sunt, ut, quasi sit una, de qua-
« que videas, quid fiat seu agendo, seu patiendo (1)? »

Socrates, ut dialecticam commendet, dialectice procedit, dialectice demonstrat artem bene dicendi ex arte bene cogitandi, rhetoricam ipsam e scientia pendere, et oratorem necesse esse veram rerum naturam cognitam habere, neque ullo modo satis fecisse, postquam aucupiis verborum et ratiocinandi fallaciis ignaros decepit et illaqueavit, quasi ipse esset doctior iis et eruditior (2).

(1) *Phædr.*, 270 D.

(2) Aliquis forsan haud male memoret divisionem magis rhetoricæ, definitionem potius philosophiæ finem esse (Aristoteles quidem tantum definitionem curat). Sed Socrates oratiunculam Lysiæ

At enim, dicet rhetor, parum curo naturam ipsam rei de qua dissero, dum per verisimile audientes persuadeam et id quod volo obtineam. Nonne maxime errat? Nonne, quod jam demonstratum est, qui veritatem ignorat, idem et verisimile ignorat, atque ars, qua nititur, collapsa ruit? Num, nisi dialectica instructus et ductus, veritatem unquam occupabit? — At, rhetor adhuc contradicet, scientiam mihi esse inutilem jam non contendam, sed quid est cur naturam hominum, qui me audient, antea introspexerim et cognitam habeam? — Hac autem in re quoque gravissimo laborat errore, secundum Socratem. Cum etiam rhetorica revera sit ars quædam animos regendi aut gubernandi per orationes, inde fit ut rhetor sive orator animum humanum, mentem humanam tentare et tractare debeat ad persuasionem efficiendam. Hippocrati quidem ejusque æmulis placet medicinam non recte agere posse, nisi corporis naturam, summamque et partes penitus exploraverit. Quid quod veram corporis naturam nisi universa omnium rerum natura prius intellecta non intelligi posse adfirmant? Neque immerito. Scilicet, nonne hoc modo dialectica corpori intelligendo studet? Primum exquirit utrum simplex sit an multiplex, quæ vero et quales simplicis sint

retractando et quasi novam faciendo una est bonus orator, quia recte dividit, et bonus philosophus, quia recte definit — Cf. E. Boutroux, *op. l.*, pag. 682: « Ainsi la définition socratique se fait par l'énonciation de la capacité interne dont la chose à définir est la manifestation extérieure... Pour arriver à la définition ainsi conçue, le moyen qu'emploie Socrate est l'*induction*. Cette opération se divise en deux parties que l'on peut appeler l'invention et la discussion. » — Cf. A. Fouillée, *la Philosophie de Socrate*, I, pag. 92.

facultates, et quatenus res ceteras ipsum adficiat vel iis adficiatur, sive agat sive patiatur, quæ tandem et quot partes multiplicis sint, ita ut de quaque, quasi sit una, videat sicut de summa aut de toto? Sed omnia naturalia arctissimo et proximo vinculo inter se cohærent, et ideo corpus humanum corporisque pars unaquæque cum universa rerum summa quodammodo conjuncta est. Ergo ad corpus absolute cognoscendum omnia necesse est novisse. Quod autem ea de re Hippocrates recta ratione ductus declarat, id et Socrates, si de scientia animi humani agetur, credet et significabit. Nempe oratorem oportet meminisse et pro certo habere cum animos sæpe ac multum alios ab aliis differre atque ad hunc persuadendum hanc valere orationem, ad illum illam, tum et orationes alias ab aliis differre atque huic hanc vim inesse et virtutem, illi illam. Præterea rapido ingenii acumine calleat dignoscere quando præceptis rhetoricæ utendum sit, perspiciat auditorum mores et vivendi consuetudinem, quomodo se gerere assueverint, quibus in præsens moveantur adfectibus, semet ipsum ad urbes, ad diem, ad res accommodet, dicenda et tacenda sciat, uno verbo agat et oret pro re, pro auditoribus, pro tempore, pro locis. Si omnia illa expleverit, haud indignus erit qui laudetur. Si non, quamvis sibi confidat et a se ipso inter disertissimos adnumeretur, incredulos offendet et jure contemnetur.

Recta igitur animi cognitio, quam hominibus Socrates præcepit suo γνῶθί σε, veram sinceramque rhetoricam antecedit, ei viam aperit et præmunit, vim addit et efficacitatem. Neque Thrasymachus et ceteri id

ignorant: sed avari instar qui semet tantum respicit et curat, et thesauri sui ne unam quidem particulam cum ceteris communicat, discipulos et auditores umbra decipiunt, neque re omnium optima ornant et amplificant. « Sed qui nuper scripsere de arte dicendi, « quos tu audivisti, ii callidissime nos frustrantur, « nam animi naturam pulcerrime noverunt (1). »

Omnes Socratem judicabunt vere infinitum laborem (2) et prope viribus humanis majorem futuris oratoribus imponere, eos jubendo scientiæ, quam *psychologiam* dicunt, peritissimos esse, cum ad animum cognoscendum, auctore ipso Socrate, necesse sit omnia novisse. Socratem vero, sive Platonem malis, ita cogitasse luculenter ex hoc loco cernitur: « Omnes quælibet maximæ artium desiderant nugas illas et de « sublimibus disputationes quæ ad naturæ studium « attinent... Quod et Pericles propriis nativisque virtu« tibus addiderat (3). » Ergo de hoc nulli licet errare aut dubitare. Qui non absolutus philosophus, is non absolutus est orator. Phædrus quidem Socrati: « me « nunquam eloquentiæ professores talia docuere, » inquiet, neque Socratem vel minime movebit. Sane Socrates rhetorum triumphis sæpius interfuit: nihilominus pro certissimo habet sua tantum ipsius disciplina bonum oratorem informari posse. Ne res et facta dictis ejus Phædrus opponat, quoniam constat et rhetores optimæ dicendi docendique rationis compotes

(1) *Phædr.*, 271 C.
(2) *Phædr.*, 271 D, E, 272 A, B.
(3) *Phædr.*, 270 A. — Cf. R. KÜHNER, *op. cit.*, pag. 11-12.

esse atque ea peritissime ac felicissime uti, sed ad eam discipulis aditum non facere, potius ab ea discipulos revocare. An vero tam juste quam lepide et eleganter Socrates adversarios carpat, alius dijudicet.

Socrates jam multas et varias virtutes ab oratore, qualem secum excogitavit, requirit. Nondum autem omnia explicata sunt. Vult enim futurum oratorem a natura ipsa primam omnium virtutem sortitum fuisse. « Si « tibi contigit natura ingenium ad eloquentiam aptum « habere, eris orator clarus, cum asciveris scien- « tiamque et exercitationem... (1) »

Talia sunt placita Socratis de rhetorica, quæ ex rhetoricæ definitione ab ipsis sophistis posita dialectice extrahit. Socraticam enim rhetoricam, si verba ista semel conjungere licet, sophistarum rhetorica quasi invita gignit. Quemadmodum doctrinas, sic viros Socrates tractare solet. Quoties sophistam aut rhetorem deprehendit, virum scientiæ expertem, a ratione abhorrentem, audacem vero et confidentissimum non dedignatur et respuit, at interrogat et loqui jubet, lepide laudat et approbat, paulatimque inscium ad novas et meliores inclinat cogitationes, quas sæpe iste commendat et prædicat, quasi ipse eas invenerit. En cum ipsa rhetorica res est : si quis Socratem ut ei vel minimam inesse virtutem dicat impellere volet, denegabit mordicus et recalcitrabit; in præsens tamen non reluctatur, et rhetoricam esse hoc aut illud haud invitus fateri videtur; sed disputando et dialectice ratiocinando, fere ludendo, nescio quam novam rhetoricam

(1) *Phædr.*, 269 D.

priori tam dissimilem quam nothæ ingenuam puellam producit: moli mentem, corpori animum, cadaveri vitam inspirat.

Rhetorica est ars persuadendi, aiunt Tisias, Gorgias et Thrasymachus. At, respondet Socrates, duplex est persuasionis genus, unum quod opinionem, alterum quod scientiam efficit; vos opinione contenti, opinionis famuli estis; ego, scientia auspice et adjutrice, homines hujus, quod est omnium amplissimum et præstantisssimum, boni, id est veritatis, participes volo facere.

His quidem excellentissimis et clarissimis verbis Socrates quid oratori suo faciendum breviter contrahit ac memorat: « Nisi quis antea veritatem cujusque « rerum viderit de quibus dicit aut scribit, et eam in « universum definire potuerit, et definitam rursus « secundum species usque ad *indivisibile* dividere « calluerit; nisi animi naturam perspexerit eodem « modo, et quæ (orationis) forma cuique menti (φύσει) « congruat invenerit..., non potest fieri ut arte (τέχνῃ)... « dicat (1). »

Orator igitur erit vere philosophus, quippe qui dialectica methodo utatur; — philosophus, quippe qui universa scientia sit imbutus ; — philosophus, quippe qui animi naturam cognitam habeat, et psychologiam philosophiæ principium esse fateatur (2).

(1) *Phædr.*, 277 B, C.

(2) Cf. A. Fouillée ; — F. Susemihl, *de Platonis Phædro et Isocratis contra sophistas oratione dissertatio... Gryphisvvaldiæ, MDCCCLXXXVII*, pag. X-XI : « A scientia igitur ad artem, ab arte « ad exercitationem transeundum est... Opponitur (273 E, D) enu-

Qui dialecticus, doctus, psychologiæ peritus, idem erit bonus subtilisque artifex (1): nam eum natura arte bene dicendi non ornare non potuit. Quid vero sit ingenium illud, non exercitationis fructus, naturæ contra gratuitum donum, cum in *Phædro* Socrates non plane indicet, non absurdum, spero, videbitur, si id cum delirio vatum sacrorum comparavero, et etiam memoravero vel definiendi artem, quæ est præcipua pars orationum, a Socrate ad numina, Nymphas scilicet et Pana Mercurii filium, quodammodo referri, tanquam significare velit naturam multo artibus majorem et meliorem esse (2). At nonne poeticus furor, sicut philosophicus intellectus, ex amore oritur? Poeta pulcritudinem, philosophus veritatem amat et sequitur: orator ambobus studeat, nam eloquentiam necesse est omnibus poesis et philosophiæ dotibus decorari et esse præditam.

Rhetorica igitur est aut esse debeat ars docendi

« meratio triplicis cognitionis, qua non carere posse eloquentiam « sublimiorem artis nomine dignam demonstratum est, metaphysicæ « (ὁ τὴν ἀλήθειαν εἰδώς), psychologicæ (ἐὰν μή τις τῶν τε ἀκουσομένων « τὰς φύσεις διαριθμήσεται), logicæ (καὶ κατ' εἴδη διαιρεῖσθαι τὰ ὄντα καὶ « μιᾷ ἰδέᾳ δυνατὸς ᾖ καθ' ἓν ἕκαστον περιλαμβάνειν.» — G. GROTE, *Plato ant the other.*, II, pag. 245, 248, 258, credit rhetoricam hanc magis Platonis quam Socratis esse (« the theory of rhetoric too is « far more Platonic than Sokratic ») et vires facultatesque humanas longe excedere (« it is indeed an *idéal*, not merely unattainable by « reason of its magnitude, but also including impracticable condi- « tions... »). De hoc vide, quæso, quæ infra dixi.

(1) *Phædr.*, 277 C.

(2) *Phædr.*, 263 D, E. « Φεῦ, ὅσῳ λέγεις τεχνικωτέρας Νύμφας τὰς « Ἀχελῴου καὶ Πᾶνα τὸν Ἑρμοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου πρὸς λόγους. » Cf. *Phædr.*, 262 D.

verum, per pulcrum, ad bonum: tria quidem illa in philosophia Socratis Platonisque semper conjuncta non dividit rhetorica quæ Socratica, Platonica appellari queat. Socrates jam nullum posse bene dicere nisi bene cogitando probavit; mox probabit omnes qui bene cogitant et dicunt, eosdem bene agere. Quamvis ultimum illud Socratis placitum non singulariter et copiose in *Phædro* demonstratum sit, magis dialogi *Gorgiæ* primum sit et principale propositum, nihilominus ea de re manifestum et clarum quid cogitet efficit Socrates. Etenim laborem illum immensum, quem suscipere futurum oratorem jubet, futurus orator, vere dignus cui nomen illud tribuatur, forti et grato animo suscipiet, nam: « conanti quidem ad « pulcra pulcrum est vel pati quidquid acciderit (1). » Sed curis, malis, periclis se objiciet non ut possit inde loqui coram hominibus et regere negotia ista hominum, at ut, quoad licet, dicendo et agendo erga deos pius esse videatur. Socrates tantum virtutem et veritatem spectat: ad id vero mox revertet et suam cogitationem novo modo illustrabit, dum anquiret utrum necne deceat orationes scribere.

Cum autem pateat illam, quæ fere totum *Gorgiam* implet, doctrinam *Phædro* quoque inesse, nonne certum est Platonem duabus contrariis opinionibus de rhetorica vicissim non indulgere, sive *Phædrus*, sive *Gorgias* legatur, ita ut rhetoricam nunc restituat et commendet, nunc oderit et arceat (2)? Contra *Phædrus*

(1) *Phædr.*, 274 B

(2) Cf Barthélemy SAINT-HILAIRE, *Rhétorique d'Aristote*, vol. I,

et *Gorgias* tanquam corporis ejusdem germanæ partes, alter alterius opem poscunt amiceque conjurant. Aut, ut aliter dicam, in *Gorgia* dialogo libenter agnoverim fabulam cujus *Phædrus* argumentum sive ὑπόθεσις haud absurde dicatur.

præf. pag. VII —Cum Platonem semper et ubique rhetoricæ et rhetoribus bellum intulisse (scilicet in *Gorgia* viris maximis et honestissis, prout politicæ rei participibus, Miltiadi, Themistocli, Cimoni, Pericli, acerbissime crimini vertit populi felicitati et potentiæ, non moribus consuluisse), nonne quæstio incidit *an revera voluerit in Phædro rhetoricam instituere ?* Ad quam jam conabor explicandam et, si licet, dijudicandam.

IV

QUID « PHÆDRI » SIT SUMMUM ET EXTREMUM PROPOSITUM

Jam novimus et bene perspectum habemus quid sit, Socrate et Platone judicibus, orator absolutus, perfecta rhetorica. Sed num sibi Plato proposuit in *Phædro* oratorem informare et producere eum qui rebus politicis se totum impenderet, coram populo aut in senatu ageret et loqueretur? Num, ut ita dicam, Demosthenis imaginem ante Demosthenem repræsentare voluit?

Audiamus vero commentatores e nostratibus ornatissimos et amplissimos. « Hostis ille rhetorum, ait « *Ernest Havet*, edidit tamen et suam disciplinam « oratoriam : quæ est *Phædri* materies, præcipue in « posteriore parte... Aristotelis rhetorica, jam a Pla- « tone concepta, et quasi semen in *Phædrum* deposita « erat (1). » At alius : « Plato proscribit rhetoricam...

(1) Ernest HAVET, *Etude sur la Rhétorique d'Aristote, Paris, MDCCCXLVI*, Cf. pag. 9-12, pag. 20. « Ce grand adversaire des rhé- « teurs..., Platon, a cependant *écrit une théorie de l'art oratoire.* « Elle est l'objet du Phèdre, dont elle remplit la dernière partie... « Ces extraits suffisent pour montrer que la Rhétorique d'Aristote « a été conçue par Platon, et qu'elle est en germe dans le Phèdre .. « Nous avons, dans le Phèdre de Platon, le principal et, en un « certain sens, l'unique antécédent de la Rhétorique »

« In *Menexeno* contra et *Phædro* lenior fit et ipse stu-
« det docere artem istam, quam adeo carpsit, et me-
« thodum et usus varios, et quomodo utilis nobilis-
« que esse possit: uno verbo, Socrates magistrum
« rhetoricæ agit... (1). » Ergo viris doctissimis placet Platonem in *Phædro* rhetoricam, si non explicasse et partibus omnibus absolvisse, certe adumbrasse et delineasse.

Sed ecce alius Platonem increpat quasi, opus hoc adgressus, rem suam bene amplecti et tractare noluerit aut non potuerit, et reprehendit quod necessitates politicas, prout humiliores, nequaquam curet, contra,
« per regiones supremæ philosophiæ » vagetur, et
« supra terrestria negotia, libera et superba ala abla-
« tus, speculetur, quippe qui parvi faciat utrum eum
« profanum vulgus sequatur necne... Plebicola autem,
« delator, civis reus neque tempus terit neque men-
« tem fatigat circa meditationes illas secretas et recon-
« ditas... Quare philosophum sinit somniis indulgere,
« neque linquit manuale illud ad omnes causas et
« casus accommodatum. Non negaverim quidem apud
« Platonem nullius ponderis fuisse opifices istos ver-
« borum, et philosophum ad illum excelsum gradum
« eloquentiam non extulisse, nisi ut globus causidi-
« corum eam non attingeret (2). »

(1) B. Saint-Hilaire, *Rhétorique d'Aristote*, vol. I. præf. pag. VII:
« Tantôt Platon proscrit la rhétorique... Dans le Ménexène et dans
« le Phèdre, il s'adoucit et il prend la peine d'indiquer lui-même à
« cet art dont il s'est tant raillé, sa méthode, ses applications diver-
« ses, son emploi utile et glorieux: en un mot, Socrate donne une
« leçon de rhétorique. »

(2) Charles Benoit, *Essai historique sur les premiers manuels*

Nonne vero, pace optimi et eruditissimi viri dixerim, in culpam, quam in Platone reprehendit et leniter castigat, ipse cadit, nedum rem ipsam fortiter occupet et recte interpretetur? Licet cuivis putare aut scribere Platonem, quamvis nihil tale excogitaverit, huic vel illi incepto studuisse, neque eventum Platoni feliciter cessisse. Licet dicere: « In *Phædro* non repe-
« rire est elementa e quibus sanus et utilis de rheto-
« rica tractatus confletur: ergo Platoni vel tentanti
« non contigit talem tractatum facere. » Miram argumentationem! Nonne oportet nos quæstionem hanc ante omnia agitare et enucleare: « An Plato *voluerit* tale inceptum absolvere? » Nequaquam vero illam: « An *potuerit* ? » Nonne de hoc uno lis est atque disputatio: « An Plato eloquentiam oratoriam sive poli
« ticam sive judicialem informandam et perficiendam
« in *Phædro* susceperit? »

Doctrina quidem Platonis multum adjutam, salubriter correctam et amplificatam fuisse eloquentiam nemo negabit. Lycurgus, Demosthenes, Isocrates multum apud eum profecere, et ex ejus commercio, vel sacrario, ut ait C. Cornelius Tacitus in dialogo illo, meliores evasere et fortiores. Scilicet viros illos Plato

d'invention oratoire jusqu'à Aristote. Pag. 60-62. «... Poursuivre,
« loin de la routine, ses libres et brillantes spéculations, sans s'in-
« quiéter si les yeux profanes peuvent suivre son essor.. le déma-
« gogue, le sycophante, le citoyen accusé n'ont ni le temps, ni le
« goût de ces méditations solitaires... Aussi laisse-t-il rêver le phi-
« losophe et garde-t-il son manuel avec sa routine si commode. Il
« est vrai que Platon se souciait peu de ces ouvriers de parole, et
« qu'il n'élevait peut-être si haut l'éloquence que pour la rendre
« inaccessible à la foule des parleurs ordinaires. »

docuit quid sit justum, injustum, quid verum, falsum, et quomodo civis bonus populo consulat, non inserviat (1). Manifestum etiam est ab Aristotele repetita esse et accuratius explicata tractataque placita quædam Platonis. Sed Plato toto cælo distat ab Aristotele, quoniam educare Lycurgos et Demosthenes, ne patronos et causidicos dicam, nullo modo studet. Audiamus enim magistrum ipsum. Postquam labores varios et arduos, e quibus constet vera rhetorica, si quid rhetorica sit, fusius exposuit, verba hæc, quæ, prout nobilissima et maximi momenti, adhuc memorabo, profert : «... Sed sapiens ita conabitur, non ut cum homi-« nibus colloqui, hominum negotia regere possit, sed « ut quam maxime factis et dictis deos colat et sibi conciliet. » Non est sapientis munus procellis publicis interesse aut se objicere : cum autem Plato solum sapientem respiciat, eum neque armat neque communit adversus ista pericula.

(1) Cf. Maurice Croiset, *Des idées morales dans l'éloquence politique de Démosthène*, *Montpellier*, 1874, pag. 37 : « Sans aller « jusqu'à dire... que Démosthène ait été le disciple du grand phi-« losophe, je crois qu'il a profité sensiblement des entretiens de « l'Académie. » — Quod attinet ad Isocratem, quem Socrates sub finem dialogi memorat, sic disserit F. Susemihl, *op. c.*, pag. 11 : « Medium denique locum (inter rhetoricam *sublimiorem* et rhetori-« cam *vulgarem*) obtinent qui sine scientia dialectica tamen felici « ingenio rectisque opinionibus ducti auditores lectoresve de rebus, « quæ tractantur, non fallere, sed eis quoque rectas opiniones tra-« dere student, itaque non philosophi quidem sunt, at habent « tamen φιλόσοφόν τι. Horum mentionem faciendi cum dialogus Pla-« toni non dederit occasionem, hunc in finem clausula 278 E sqq. « adhibetur : ex eorum enim numero Isocrates est, ut tum Platoni « videbatur. »

Quemadmodum illi qui ipsum reprehendunt, Plato sane novit quibus quis artibus populum captet et irretiat, et te ei blandiri oportere, ut persuadeas. Neque ignorat mendacium colore fucatum veritate nuda longe superius et gratius plerumque esse (1). Itaque civitatis genus illud, quod vocant *democratiam*, contemnit et respuit, quia delatores et plebicolas respuit ac contemnit. Nunquam sapientes hortabitur ut ambitionibus, cupiditatibus, odiis, quam opinatur *democratiæ* esse farraginem, se immisceat vel opponat. Contra eum incitabit ut privatus vivat, solitudinem quærat et colat, ubi philosophando et ipse melior fiat et alium sibi similem meliorem efficiat (2). Eum denique vocabit, non oratorem, at dialecticum; eum docebit dialecticam, sive artem philosophicos sermones habendi, non rhetoricam, sive artem coram multitudine, ad multitudinem persuadendam dicendi et agendi. Vide quanto contemptu sophistæ disciplinam Socraticam et Platonicam derideant. « Sed tu quidem, o « Socrates, exclamat Hippias, quid putas illa esse « omnia? Nempe vellicationes sunt et relliquiæ ora- « tionum circumcisæ, ut nuper dixi, atque minutatim « divisæ. Illud vero pulcrum et nobilissimum est, te « posse bene et pulcre orare in judicio aut senatu aut

(1) Cf. *De Rep.*, VI, 493 A. B, C : « Οἷόν περ ἂν εἰ θρέμματος « μεγάλου καὶ ἰσχυροῦ... »

(2) Cf. E. HAVET, *le Discours d'Isocrate sur lui-même, Paris, MDCCCLXI; Introd.* Auctor eloquentissimus, civis probissimus Socraticis crimini non dubitat vertere quod negotia publica abjecerint, semet ipsis contenti, et ita civitatem, Athenas pessimis et turpissimis nebulonibus permiserint.

« coram ceteris potestatibus, ad quas orationes
« habeantur, et, postquam persuasionem effecisti,
« abire non cum minimis, sed cum maximis præmiis,
« servata salute ipsiusque et tuarum fortunarum,
« salute amicorum. His igitur oportet te incumbere,
« et derelinquere argutias istas, ne videaris nimis
« demens esse... (1) ». Sed longæ illæ et ordine dis-
positæ orationes Socrati valde displicent. « Pulcre
« quidem, o Gorgias, videtur Polus comparatus esse
« ad orationes : quod sed enim promisit Chærephonti,
« id non facit. — Quid præcipue, o Socrates ? — Ad
« interrogatum nullo modo mihi videtur respondere.
« — At tu, si placet, rogato eum. — Non, si tu ipse
« saltem libenter respondeas : nempe multo libentius
« te interrogem. Manifestum enim est mihi Polum
« vel ex iis quæ dixit, illi quam vocant rhetoricam
« magis studuisse quam colloquendi arti (διαλέγε-
« σθαι) (2). » Interrogare et respondere, hæc omnis est
ars Socratica disserendi et disputandi. Scilicet Socra-
tes « dialectici nomen dicere solebat ab una collo-
« quendi et res inter genera distribuendi consuetudine
« venisse, huic igitur exercitationi accuratissime
« homines studere et maximam operam dare debere,
« cum ad informandos optimos et peritissimos politi-
« cos, subtilissimos dialecticos multum valeat (3) ».
Sola dialectica homines ad virtutem et veritatem pro-
vehit. « Et deinde, postquam ita una virtutem colue-

(1) *Hipp. Maj.*, 304 A B.
(2) *Gorg.*, 448 D.
(3) *Xenoph. Memor.*, IV, 5, 12.

« rimus, tunc demum, si quidem necessarium id « videatur, tractabimus res publicas, aut, quodcumque « nobis visum erit, deliberabimus, aptiores ad delibe- « randum quam hodie (1). » Verba illa *Phædrum* confirmant et illustrant, nedum refutent. Dum dialogi partes discerno et unamquamque explico vel expendo, non possum quin vocabula rhetoricam et oratorem usurpem et transcribam, et in hoc Socratem ipsum imiter. Sed in ea re nonne Socratica methodus maxime illustris est et fecunda ? Viam, quam ipsi rhetores, sophistæ stravere et munivere, libenter intrat : sed procedendo, progrediendo inexspectatam et novam metam quærit et contingit. At enim Aristoteles e *Phædro*, sicut e fonte, suam oratoriam disciplinam detorsit. Id vero quis negat ? quis etiam non intelligit ? Cum Plato educare dialecticum eum qui uno cum viro sermocinetur, tum Aristoteles instruere studet oratorem qui coram pluribus viris, populo, multitudine agat et dicat. Quicumque autem loquitur, nonne eum oportet cognoscere et naturam humanam et naturam rerum de quibus tractatur, ut cum et se ipso et auditoribus bene consentiat ? Nonne ut oratio continua, sic sermo familiaris et solutus ad veritatem tendit ? nonne modi veritatem exponendi et propagandi semper et ubique iidem sunt et similes ? Aristoteles vero cum Socrate hoc differt quod unum virum, nullo contradicente, plures alloquentem auditores, verum, justum et bonum docere posse arbitratur, Socrates non arbitratur. Socrate judice, sapientiam quærere res est quæ

(1) *Gorg.*, 527 D.

tantum duobus amicis sive amantibus conveniat, scientia purissimus est et certissimus fructus sermonum philosophicorum, amoris, ut dicunt, philosophici.

Ad quod demonstrandum notari potest hoc quod Socrates de orationibus scribendis significat. Etenim, probavit oratorem, etiam si de rhetorica sophistarum modo agatur, oportere animorum naturam novisse. At animi æterni sunt, scientiam innatam habent, ita ut scientia revera non sit inventum quoddam, sed singularis memoria, ἀνάμνησις. Ergo oratio in animis nil efficit nisi ut excitet et tanquam ad lucem evocet *ideas* quibus natura pleni sunt. Oratio animos commovet, nutrit et adauget, *a potentia ad actum* impellit: sed in animis nihil creat, animis nihil novum et externum addit et inspirat. Animi ex se ipsis omnia producunt, et scientiam, oratione adjutrice, sponte parturiunt. Sed oratio sola, quæ non litteris conscripta est, tali virtute prædita est. Quæ scripta est, ac mutis labris legitur, ea, prout iners et immutabilis, ad hoc nihil valet. Quid enim? Oratio stylo elaborata et exarata gestit exprimere et tibi non commendare, sed imponere opinionem aut doctrinam certam, absolutam, omnibus meliorem, et quam exagitare prope nefas sit. Quod si talem orationem impugnaveris, en gravissimo silentio tantum te refellit. Quare ab hoc animo aliter intelligitur, ab illo aliter, prave forsan ab omnibus: nam rogata unum et idem semper respondet. Apud eam igitur nihil animi proficere possunt. Oratio contra, quæ non scripta est, at dicendo et colloquendo nascitur, omnes formas induit, se ad

quoscumque sermonis eventus accommodat, sibi defendendæ ipsa auxiliatur, vivit demum et agit (1), sola animos excitat, fecundat, fovet atque ad pulcerrinum partum sollicitat (2).

Libenter crediderim Socrati orationem politicam aut didascalicam, quæ coram pluribus magna claraque voce et uno tenore dicitur, atque exordium, propositionem, perorationem habet, non magis placere quam scriptam, quippe quæ nihil sit nisi oratio antea multo opere excogitata et litteris exarata, dein memoria sæpta, tandem ad verbum recitata. Qui doctrinam quamdam continua oratione exponit neque contradicentem vel interrogantem alium patitur, is revera librum, si non scribit, certe legit. Ille est sophistarum agendi modus, quia dialectici non sunt. Atque hoc iisdem semper a Socrate crimini vertitur. Viri enim superbi gestiunt in animos auditorum tanquam adventicias notitias importare. Socrates vero, ut est modestior, sperat tantum et promittit se ex animo hujus quocum colloquitur notitias natura insitas ad lucem promoturum et attracturum. Ipse, ut ait, ignarus, Phædrus autem, Phædro quidem inscio, doctus est. Phædrus in semet ipso, ut thesaurum arcanum, multas *ideas* possidet, quas ignorat neque etiam suspicatur: ei Socrates thesaurum aperit. Socrates mille modis Phædrum interrogat, Phædrus respondet, et tanta est in interrogando Socratis sollertia ut Phædrus plerumque optime respondeat. Quæ est vera, recta, naturæ et

(1) *Phædr.*, 216 A : « Τὸν τοῦ εἰδότος λόγον λέγεις ζῶντα καὶ « ἔμψυχον, οὗ ὁ γεγραμμένος εἴδωλον ἄν τι λέγοιτο δικαίως. »
(2) *Phædr.*, 274 C sqq..

rationi conveniens, eademque fecundissima methodus, dialectica (1). « Multo quidem, credo, pulcrior opera « his dabitur, si quis dialectica arte instructus eliget « animum idoneum, ubi plantetque et serat cum « scientia sermones, qui sibi ipsis et satori possint « succurrere, qui neque sint infructuosi et semen « suppeditent, unde alii in alias mentes depositi « semen illud semper immortale reddant, et eum, qui « hoc possidet, felicissimum efficiant, quantumcumque « homini fieri potest. » Verba vero illa quæstioni nostræ clarissimam lucem infundunt, et majoris momenti videntur esse, aliis quidem dialogi partibus collata. Scilicet dialecticus hoc gaudio fruitur, hoc fungitur munere, sibi seponere et seligere animum juvenilem et sincerum, quem ad bonum et virtutem ducat. At Socrates majoris pretii quam omnes ceteros æstimat, magis miratur et celebrat virum quem novit philosophiam pia et candida mente excoluisse, pueros amore philosophico esse prosecutum. Socrates, haud minus quam sophistæ, pulcros juvenes quærit et venatur (3),

(1) Cf. de hoc acerbissimum illud judicium : « C'était une conver- « sation spontanée, systématisée et dirigée dans une voie déter- « minée à l'avance. fournissant un stimulant à la pensée et un « moyen de perfectionnement qu'on ne pouvait attendre d'aucune « autre manière, — *procurant à quelques-uns aussi une source* « *de profit ou de faste.* Elle ouvrait une ligne de sérieuse occupa- « tion intellectuelle à des hommes d'un tour d'esprit spéculatif ou « investigateur, *qui manquaient de voix, de hardiesse, de mémoire* « *continue* pour parler en public, ou qui désiraient se tenir à l'écart « des animosités politiques et judiciaires du moment. » G. GROTE, *op cit*, XII, pag. 165.

(2) *Phædr*, 276 E, 277 A.

(3) Cf. *Charmid.*, sub initium.

quos sibi conciliet et arctissimo vinculo conjungat, non ab illis pecuniam aut mercedem mendicaturus et accepturus, eos non habiturus eo modo quem in *Phædro* ipso *turpe commercium esse et contra naturam* declarat (1), sed ut amicos doceat quidquid bonum et justum ipse didicit et novit. Socrates venusta corpora miratur, quod maxime græcum est, sed multo magis animos venustos diligit, quorum ut numerus major fiat contendit et laborat. Postquam animum gratum et amabilem deprehendit, ejus naturam, facta, mores, studia explorat, eum, si licet ita dicere, retractat et fingit ut quam simillimum deo, quem olim fuisse secutus videtur, perficiat : at illum emendando se ipsum emendat, disertior fit, acutior, ad persuadendum aptior, ut artifex, dum statuæ studet ad unguem poliendæ, manum quoque suam dulciorem in dies et delicatiorem esse sentit. Etenim, amico adstante, sapiens largo flumine statim profundit sermones de virtute, de officiis ac muneribus viri boni, quibus puerum ornare et instruere valde cupit : nam, ut opinatur Socrates, qui pulcritudinem videt proximam aut tangit, omnes virtutes suas, omnes sui animi intimos fructus sponte effert et expandit. Hic est revera philosophicus seu platonicus amor, dialecticæ fructus, dialectici præmium. Nullum est majus gaudium, nulla illustrior gloria, quam si quis animo novo ac molli virtutem et scientiam impresserit, formam alteram

(1) Cf. *Phædr.*, 250 E, 251 A : « Οὐδ' αἰσχύνεται παρὰ φύσιν ἡδονὴν « διώκων. » — Cf. *Phædr.*, 257 B : « Ἵνα καὶ ὁ ἐραστὴς ὅδε αὐτοῦ, « μηκέτι ἐπαμφοτερίζῃ καθάπερ νῦν, ἀλλ' ἁπλῶς πρὸς Ἔρωτα μετὰ φιλο- « σόφων λόγων τὸν βίον ποιῆται. »

dederit et eum quasi iterum creaverit : « Ergo si ad « recte ordinatam vitam et philosophiam pars animi « melior victrix redegerit (amantes), beatam et con- « cordem agunt terrestrem vitam, compotes sui et « moderati, quia subjecerunt vitiosam animi partem, « contra liberaverunt bonam et virtute præditam (1). »

Plato igitur in *Phædro* sibi proposuit aperire rationem informandi non politicum oratorem, non patronum, non vulgarem professorem, sed sapientiæ amatorem qui dialectica duce et adjutrice juvenibus ad sapientiam aditum faciat. Ergo immerito fingunt et scribunt commentatores Platonem rhetoricam perfectam, supremam (*idéale* dicamus), ideoque hominibus superiorem et imperviam tradere voluisse. Immerito aiunt : « Plato « nihil curat officia et difficultates vitæ publicæ, Plato « rationem edit quæ factis quotidianis nullo modo est « consentanea. » Scilicet Plato, ut civitatem popularem, democratiam proscribit, ita non studet ut eloquentiæ *ad usum populi* disciplinam informet.

Si *Phædrum* attente leges et scrutaberis, Platonis propositum et placita sine hæsitatione dignosces, qui, postquam sophistarum rhetoricam neque quærere neque docere veritatem demonstravit, dialecticam demonstrat solam posse et quærere et docere veritatem.

(1) *Phædr*, 256 A, B.

V

DE « PHÆDRI » MYTHIS, QUOMODO TOTIUS DIALOGI PROPOSITO COHÆREANT (1)

Ille quidem est cardo in quo dialogus totus vertitur. Ad quod etiam et etiam demonstrandum non parum forsan valebit, si ostenderimus, vel quam paucissimis verbis, ne res jam ab aliis perspecta et explicata ab integro reprehendatur, quantum præcipuæ Platonis sententiæ faveant mythi ab eo in *Phædro* sive memorati sive ficti.

Plato enim mythos adhibet tanquam efficacem docendi rationem, quod rectissime notavit *E. Zeller* (2). Idem vero criticus germanicum alium scriptorem refellit, qui mythos Platonicos nihil esse contendit nisi ad ostentationem pannos et rhetoricæ declamatio-

(1) De usu Platonico mythorum disputavit in universum, sed non cum recta rerum cognitione vel prudenti æstimatione, Abbé GARNIER, *De l'usage que Platon a fait des fables. Mémoires de littérature... Académie royale des Inscriptions... Tome trente-deuxième. A Paris, de l'imprimerie royale. MDCCLXVIII*, pag. 164 sqq.

(2) *Die Philosophie der Griechen... Zweiter Theil... Leipzig... 1875*, pag. 803-804.— Cf. P. JANET, *Etudes sur la dialectique dans Platon et dans Hegel. Paris 1861*. Pag. 87 sqq.

nis relliquias (1). Rectius sane, sed obcurissime, rem tractavit *Albertus Fischer* (2). Plato vero formam hanc narrandi et docendi non usurpat ut ludat et dialogos ad voluptatem legentis ornet decoretque, quod Phædrus ipse vocat ἐν λόγοις... παίζειν : Socrates enim quanto pulcrior et utilior sit mythorum in sermonibus philosophicis usus (καλλίων σπουδή) memorat extemplo et explicat. (*Phædr.*, 276 E.)

Sub initium dialogi (3), urbanissime Socrates omnes eos carpit qui fabellas mythologicas rationibus, ut aiunt, physicis interpretari et illustrare solent : scilicet et dies et labor iis irritus effluit. Quod ad Socratem vero attinet, non in argutiis istis mentem et ingenium absumit, contra bono animo historiis antiquitus populo acceptis fidem adhibet. Non enim circa res externas, mente animo destitutas, a se alienas, futiles (4) laborabit, cum se ipsum adhuc ignoret. Valeant et facessant Hippocentauri, Gorgones, Pegasus. Ante omnia sibimet intelligendo et penitus explorando vult studere, et quærit utrum sit bestia, ut Typho, multiplex et furiosa, an animal moderatum et naturæ divinæ particeps. Nonne qui vires intelligentiæ suæ in sterilibus speculationibus consumunt ac deperdunt, illi sunt sophistæ? Vident et cernunt tantum vanas species, externam et mobilem rerum faciem, τὰ φαινόμενα :

(1) Rud. Hirzel. *Ueber das Rhetorische und seine Bedeutung bei Plato. Lipsiæ, 1871.*

(2) *De mythis platonicis... Regimonti... Pr. MDCCCLXV.*

(3) *Phædr.*, 229 C, D, E, 230 A.

(4) *Phædr.*, 230 D : « φιλομαθὴς γάρ εἰμι · τὰ μὲν οὖν χώρια καὶ τὰ « δένδρα οὐδέν μ' ἐθέλει διδάσκειν, οἱ δ' ἐν τῷ ἄστει ἄνθρωποι. »

rerum *essentia* eos fugit et latet, quia eam non quærunt. Philosophus contra mentem suam ab externis rebus ad se ipsum revocat, et *Nosce te* pro primo præcepto habet. Majoris pretii facit, si se ipsum vel minime noverit, quam si naturæ rerum omnia arcana penetraverit (1).

Primo adspectu eloquentissima et nobilissima de æternitate animorum et reminiscentia et amore Socratis oratio (2) parum ad rhetoricam et dialecticam videtur pertinere. Attamen rem attente consideranti apparet Socratis cogitationem inde neque interrumpi neque obscurari. Ea quidem de re *Hermann Bonitz* (3)

(1) Fateor me non bene intellexisse hæc de hoc *Alberti Fischer*: « Nobis quidem... id ex hoc loco tantum consequi videtur, ut phi« losophus noster, quamvis illas spernat interpretationes symbolicas, « tamen in mythis multa invenire sibi videatur, quæ ad internam « animi vim et naturam aperiendam cognoscendamque apta et ad « ethicam illustrandam et firmandam commodissima sunt. » — Cf. excellentem nostratis *E. Boutroux* locum : « On lit, à la vérité, « dans le *Phèdre* de Platon, que Socrate trouve risible de s'occuper « d'autres choses, alors que l'on s'ignore encore soi-même ; et de ce « texte, il semble résulter que Socrate ajourne, mais ne proscrit « pas les recherches physiques et théologiques. Mais Socrate parle « ici ironiquement. Dans sa pensée, le moment d'aborder la science « de l'être n'arrivera jamais, parce que jamais l'homme ne se con« naîtra complètement lui-même. Socrate, le premier peut-être, a eu « le sentiment de l'infinie complexité et de la profondeur insondable « de l'homme moral. .» Op. l., 405-406.

(2) *Phædr.*, 244 sqq.

(3) Op. laud., pag. 282 sqq. — Cf. SALLIER : « Laissant Lysias « marcher terre à terre. il s'élève et plane dans les airs, en traitant « dans ce second discours l'origine et la nature de l'Amour. Cette « matière devient par un pur hasard de conversation, le sujet par« ticulier du discours, mais elle est toujours un point épisodique, « et nullement le grand, le véritable objet du Dialogue, que l'au

opinionem, quam *Schleiermacher* concepit et propagavit, rejicit, aliam proponit. Mihi vero liceat, quamvis *Bonitz* multa vi et sinceritate suum placitum proferat et exponat (1), indicare me eadem repperisse in opere anteriore optimi et acutissimi e nostratibus philosophi *Alfred Fouillée*, quo duce et auctore materiem jam tractabo (2).

Non meum est hic anquirere et dijudicare quid ad philosophiam valeant nobilissima illa Platonis figmenta nec quid sit revera reminiscentia, aut figura aut dogma aut mentis humanæ « ab exteriore rerum ads- « pectu ad superiora naturalis » motus. Hoc autem oportet tenere et pro certo habere reminiscentiam veluti solidum rhetoricæ ipsius et dialecticæ fundamentum esse. — Etenim si Socrati et Platoni creditur, aute omnia necesse est veritatem novisse. — At, aiunt sophistæ, veritas non est, sunt tantum species et opiniones. Et viri omnium subtilissimi miro modo, callida argumentatione placitum istud commendant. Scilicet, ut disserunt, aut tu veritatem habes, atque inde inutile est te eam quærere; aut non habes, atque inde non potes eam quærere. Nempe homo non debet quærere

« teur termine par le détail de tout ce qui peut contribuer à la per- « fection *de l'Orateur...* » Quod si interpres ille *du dialecticien* scripsisset, haud tam prava ejus sententia esset.

(1) Pag. 284: « Der inhalt des Mythus steht also zu den deutlich « markirten Hauptsatzen über Rhetorik in wesentlicher und für « dieselben bedeutsamer Beziehung; denn diejenigen Forderungen, « welche für die Kunst der Rede gestellt werden, zeigt der Mythus « als erfüllbar und durch das Wesen der menslichen Seele selbst « vorbereitet. »

(2) *La Philosophie de Platon, Paris, 1869*, II, pag. 248-252.

id quod scit, quia jam scit, aut id quod non scit, quia ne scit quidem quid sit quærendum. Atque etiam, si forte invenisses id quod antea ignorabas, non adfirmare posses te id ipsum invenisse quod quærebas, cum ejus rei ne minimam quidem prius haberes notionem. — Sane talis argumentatio non nihil est. Scientia enim ex absoluta ignorantia nasci non potest: at cum homines natura, ut sophistæ opinantur, ignorantes sint, scientia erit nunquam. Sed Plato difficultatem aufert fingendo id quod vocatur *scire* esse tantum meminisse rerum olim cognitarum, dein oblitarum, et hominem intus, inscio sæpissime ipso, habere obscuram quamdam universæ veritatis notionem, quæ non post notiones singulas fit, sed ob quam fiunt notiones singulæ, quæ non est fructus, at semen, non finis et effectus, at causa et principium.

Ita Plato per reminiscentiam scientiam monstrat esse possibilem, legitimam, necessariam. Vera autem rhetorica, id est dialectica, nihil est, eo judice, nisi ars dicendi et persuadendi veritati commendandæ, propagandæ, in animos serendæ inserviens. Tolle veritatem, et dialecticam tolles. Si contra veritas est, et scientia ipso facto est, et dialectica.

Non minus quam reminiscentiæ, amoris descriptio proposito Platonis explanando utilis est. Nil scio nisi parvam amoris sctentiam, aiebat Socrates. Scientia autem illa, licet parva, judicibus Socrate et Platone, omnem scientiam complectitur. Amor quid est enim aliud quam dialectica? Amor, intelligentia non adjutus et ductus, in itinere huc illuc errat. Quod si non errat, non inde laudandus est; nam parum distat ab homine

cæco qui inscius vel etiam invitus rectam sequatur viam. Nunc intelligentia amoris opem et auxilium dedignetur, suis ipsius contenta viribus pulcrum, bonum et verum tentet attingere. mox graviter decidet in terram, fracta et immobilis, neque vel minime assurgere conabitur ad supremam pulcritudinem cujus splendor longinquus eam delectat et sollicitat. Sed ecce amor intelligentiam alis instruit quibus ad cælestes regiones levis et felix avolet. Etenim Plato mira subtilitate, miro ingenii acumine deprehendit et discrevit quanto momento ad intelligentiæ progressum arcana sit amoris potentia. Intellegit philosophiam, si natura ipsa hominem divina illa sapientiæ cupidine non implevisset, esse non potuisse. Amor et intelligentia, animus et mens dialectice unum et eumdem finem persequuntur. At enim, amor pulcritudinem, intelligentia veritatem præcipue appetit: ergo amori et intelligentiæ non est unus finis propositus et idem. Sed revera pulcrum et verum sunt una et eadem res. Pulcrum, ut ait Plato, splendor est et lucida imago veri. Primum admirationem animo injiciunt et eum tanquam provocant pulcræ formæ, pulcri colores, pulcri soni, uno verbo physica aut quæ sensus adfectat et præsertim humani corporis pulcritudo. Amor tantum pulcritudinem, quoniam inter omnes *essentias* maxime perspicua est et desiderabilis (ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασμιώτατον, *Phædr.*, 250 D) præsentit et oculis percipit, quippe quorum sensus sit in nobis acerrimus. Sed sub pulcritudine quasi odoratur sapientiam, quam mox solam sectatur et adorat. Corpus linquit, animum diligit. Animum vult occupare et perficere. Nam animi volup-

tates multo sunt meliores corporeis et sanctiores; et honesti animi debent sibi similes quærere animos, quibuscum secretis et æternis vinculis jungantur, quos pulcriores, magis pios et fecundiores efficiant. Illi vero præsertim qui a natura artem recte et honeste loquendi sortitus est tale inceptum optime succedet. Illum justum est omni ingenio uti, omne tempus consumere, omnem vitam impendere ut tantum opus perficiat, nedum coram vulgo profano ad nescio quem vanum favorem captandum turpis plebicola prostet. Sapiens ejus eloquentia. amore refota, excitata et ad supremum gradum evecta cum optimas orationes effundet, tum optima facta suadebit. Et amantes, « vita « peracta, alati et leves facti, trium pugnarum quæ « quam verissime Olympiacæ dicantur unam pervicere, « quo quidem bono ullum majus neque sapientia « humana neque divinum delirium possit offerre ho- « mini (1). »

Eamdem Socrates sententiam lepido illo et poetico cicadarum mytho exprimit (2). Olim homines degerunt

(1) *Phædr.*, 256 C.— Cf. E. BOUTROUX, *op. laud.*, pag. 577-678: « L'amour enfin, ἔρως, joue un rôle important dans la dialectique de « Socrate... De quel amour est-il ici question? Nul doute que « Socrate n'entende parler non de l'amitié pure et simple, mais « d'une affection mêlée d'attrait sensible. C'est une sorte d'ardeur « spirituelle qui pénètre l'homme tout entier et qui lui cause une « émotion étrangère à la pure amitié Sans doute, Socrate flétrit « l'amour physique, mais non pas dans tous ses éléments Il entre- « tient ce charme qui exalte l'âme et qui manque dans un commerce « où l'intelligence nue est seule en cause. Il en conserve, peut-on « dire, l'élan, sinon l'objet. »

(2) *Phædr.*, 259 B. C. D. — FISCHER : «... Quæ cum ita sint, ad « studium musicum sedulo nos applicemus magnopere oportet. »

cantus Musarum cantantes, et inde obliti cibum potumque periere leniter, sine dolore, inscii. Sed ex iisdem Musæ cicadas creavere, quæ semper cantant neque unquam bibunt aut edunt, usque ad mortem : defunctæ vero ad novem Sorores accedunt et absoluta felicitate fruuntur. Item si quis inter mortales vitam suam ita regerit et consumpserit ut deis similior factus sit, illi postea dii ipsi mysteria cælestia aperient quæ, amore instinguente, jam præsagiebat et præsumebat. Tanta spe accensus, fortiter laborabit et luctabitur, quoniam, ut pulcerrime ait Socrates, maxima affectanti vel maximæ molestiæ et acerbitates sunt tolerandæ. Item vero juvenes, qui viros dialecticæ peritissimos studiose audient, domi et in publico assectabuntur ut disputationes eorum et gravissimas sententias penitus excipiant, haud minore præmio, quam quod antiquis musarum cultoribus contigit, post mortem ornabuntur, et ipsos Calliope, Urania, omnia numina res divinas tandum docebunt.

Hoc quidem judicium omnibus videbitur haud magna luce rem illustrare. — Cf. ingeniosissimam acutioris critici (A. B. Krische, *Ueber Platons Phädros*, *Göttingen 1848*, pag. 95) conjecturam : « Plato mythum cicadarum adjicit ut episodio legentem recreet. « Vult facete Phædrum vellicare prout orationum amantissimum : « ut enim cicada cantui, sic Phædrus orationibus deditus est. Sed « majus quid adhuc adoritur Plato : memento enim Aristophanem, « qui in Avibus (v. 39), ut Athenienses omnium hominum ad lites « promptissimos derideat, eos vel cicadis loquaciores esse dicit (Cf. « Pax, v. 497, οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε). Ad id sed enim « Plato alludit. — Vielmehr wollte er unzweideutig den Phædros « als den Repräsentanten seiner redelustigen Zeitgenossen ansehen « und diese in ihm durchziehen. » — Quamvis interpretatio urbanissima sit et quasi sale Attico plena, aliam, spero, mihi licebit et præferre et proferre

CONCLUSIO

In *Phædro* ipso Socrates ut methodum suam aperit, sic ea utitur.

Socrates enim Phædro forte occurrit mirifice laudanti et Lysiam cujus nuper præclaram audiit orationem et rhetoricam quæ Lysiam, ut ei videtur, oratorem effecit. Nec non Phædrus Tisiæ Gorgiæque compendia edidicit et juvenili candore prædicat. Contra Socrates magis quam dici potest odit et contemnit viros istos qui adulteratam vendunt scientiam et rotundo ore mendacia profundunt. Sed longe abest ut sophistas, rhetores a Phædro delectos et celebratos hic et nunc adgrediatur, mordicus corripiat. Nempe Phædrus Lysiam amat. Qui Lysiæ, is et Phædro offendat, juveni diffidentiam incutiat, neque unquam eum vel a pessima sententia deterreat. Quare Socrates non sine quidem dulci risu laudibus de Lysia assentitur et eas jocando amplificat. Dein, sicut medicus ægroto, Phædro medetur, Phædrum curat, errores ejus et illusiones purgat fugatque, demum falsis et inanibus opinionibus veram et solidam substituere scientiam, et animum sincerum fecundumque optimo sapientiæ semine instruere tentat. Nunquam vero pædagogum,

magistrum imperiosum et plagosum imitatur, nunquam Phædrum disputantem aut contradicentem accerbe et superbe repellit. Primum indicat tantum et vix stringit rem examinandam. Interrogat Phædrum, Phædrus respondet. Socrates enim quid scit, quid ceteros docere potest? Ceteri contra, dummodo non repugnent, ipsi ex ipsis efferunt multas bonas et pulcras notiones quibus fiunt et meliores et pulcriores. Quorum Socrates non se professorem jactat, sed matronæ obstetrici se similem prædicat quæ, licet sit ipsa sterilis, aliis opem præstat et earum fetus in lucem peritissime, felicissime educit. Phædrus magni facit rhetoricam et sophistas. Socrates quidem ei de hoc consentire se simulat. Nonne vero licet de rhetorica varias exercere quæstiones ? Et quæstiones e quæstionibus serendo, nunc refellendo, nunc defendendo, Phædrus, paulatim a Socrate captus et illaqueatus, jam non dubitat rhetores conviciis et injuriis cumulare. At juvenem Socrates ad modestiam et clementiam revocat. Socrates igitur litem obtinuit. Phædrum quasi manu arripuit et in rectam viam sensim introduxit (1). Immo Phædrum prope persuasit veritates, de quibus sub sermonis finem ambo consentiunt, a Phædro potius quam a Socrate inventas esse. Ita ut veritates illæ jam sint pars quædam intima et naturalis animi Phædri, qui eas habebit et fortissime defendet, acerrime propagabit sicut bonum quid proprium, aut amabit et fovebit ut liberos pater.

(1) Cf. *Phædr.*, 262 A. « ΣΩ. Ἀλλά γε δὴ κατὰ σμικρὸν μεταβαίνων « μᾶλλον λήσεις ἐλθὼν ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἢ κατὰ μέγα. — ΦΑΙ. Πῶς δ' « οὔ ; »

Ille est Socratis docendi modus, illa dialectica methodus, ut saltem in *Phædro* dialogo apparet. Socrates semper ad dicta factum, ad doctrinam mores accommodat, præcepta exemplis et vita commendat. Eum qui audiere, sane cordati juvenes volunt magistrum imitari et, si liceat, adæquare, etiam veritatis, pulcritudinis, virtutis ceteros participes, pro sua parte, facere. Quare credo Phædrum, die illa qua ad ripam Ilissi inter eos nobilis ille sermo exortus erat, dum ad Athenas properabat, secum non semel philosophi adhortationes reputasse, et confisum esse sophistis, rhetoribus, plebicolis longe anteponendum esse probum et honestum amicum, dialecticum, quocum omnium consiliorum societate esset conjunctissimus, ita ut ambo invicem adjuti « et communicando et monendo et favendo, » meliores fierent et diis similiores. Nempe magis forsan de Socrate quam de Pericle dici potuit :

...Καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις (1).

(1) Eupolis. — A. Meineke, *Fragmenta comicorum græcorum Editio minor. Pars I*, pag. 173.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI. nonas juli anni MDCCCLXXXVIII
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

Nanceii, ex typis P. Sordoillet.

NANCEII, EX TYPIS PAUL. SORDOILLET

